DE CICERONIS RE PRIVATA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

André LICHTENBERGER

UNIVERSITATI AD DOCENDAM HISTORIAM AGGREGATUS

LUTETIÆ PARISIORUM

TYPIS MANDABAT L. MARETHEUX

1, VIA DICTA CASSETTE, 1

MDCCCXCV

DE CICERONIS RE PRIVATA

DE CICERONIS RE PRIVATA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

André LICHTENBERGER

UNIVERSITATI AD DOCENDAM HISTORIAM AGGREGATUS

LUTETIÆ PARISIORUM

TYPIS MANDABAT L. MARETHEUX

1, VIA DICTA CASSETTE, 1

M D CCC XCV

ORNATISSIMO VIRO

P. GUIRAUD

Discipulus memor.

PROŒMIUM

I

Huic scripto, cui *De Ciceronis re privata* titulus imponitur, duo sunt, ut mihi videtur, genera utilitatis : et memoriam totius reipublicæ, et peculiarem Ciceronis vitam spectat. Dum enim Ciceronis rem investigamus, qualis et quanta fuerit, quomodo acquisita, gesta aut corrupta sit, de moribus, consuetudinibus et vita privata, quæ apud optimates Urbis octavo reipublicæ sæculo fuerint, nobis multa explicantur : de hujus opibus enim sunt nobis indicia talia qualia de nemine. Eo tempore quo propriæ utilitates in communi plurimum valuerunt, adeo ut, omisso Catilina, Cæsaris fortuna privatis et nummariis momentis partim evecta sit, omnia, quæ ad bonorum et pecuniarum conditionem exquirendam juvant, nullo modo prætermittenda sunt. Ex altera parte, nobis rem privatam Ciceronis perscrutantibus, de illius vita et indole, id est, viri inter omnes veteres illustrissimi, multa magis comperiuntur. Etenim, si vicissitudines ejus fortunarum perlustraverimus, si quomodo opes sibi comparaverit aut consumpserit explicaverimus, omnibus rebus quæ ad ejus privatam utilitatem afferunt, quantum poterit, expositis, de publica ejus vita magis existimare licebit, et præcipue melius judicare, quid veri, quid falsi sit apud eos, qui eum ut avarum arguunt et publicæ vitæ ejus rationem privatis commodis gubernatam dicunt.

De re privata Ciceronis non plane enarrare possumus : Tironis et Erotis tabulas valde necessarias haberemus, præsertim quum constet Ciceronem ipsum de opibus suis sæpe non satis informari et multa obscura in eis reperisse. Exstant tamen inter omnes

pretiosissimi ad rem inquirendam libri epistolarum Ciceronis ad Atticum ; quo nemo nescit Ciceronem familiarissime usum esse : in illis epistolis, sine cura verborum scriptis, de quotidianis rebus cum eo egisse et in primis de iis quæ ad bonorum rationem pertinerent ; cujus scientiæ non ignoramus fuisse Atticum peritissimum, et Ciceronem tam consiliis quam opibus per omnem vitam multum adjuvisse. Fatendum est tamen ea nobis non sufficere ut rem plane ordinatam et inquisitam habeamus. Nam nec de omnibus rebus in his epistolis cum Attico loquitur, quippe quum sæpe voce uteretur ; et sæpe quædam leviter attingit, vel etiam uno verbo, ut ab Attico cognita, significat, de quibus parum ant nonnunquam nihil nisi temere conjici potest. Accidit igitur sæpe ut nostra scientia ex aliqua parte claudat; immo, ut fere omnino erret. Contigit autem ut nobis ætas non inviderit duo alia collectanea Ciceronis epistolarum : quæ inscribuntur *ad familiares* et *ad Quintum fratrem*. Ad scientiam nostram proferendam et ad *epistolas ad Atticum* explanandas multum prosunt. Ex reliquis Ciceronis scriptis, si non multa, non tamen nulla sunt colligenda. Inter veteres, scriptores Ciceronis æquales pauca nobis suppeditant; posteriores paulo plura, in primis Plutarchus, qui *vitam Ciceronis* e multis ejus ætatis collectis scriptis, nunc abolitis, et præsertim e Tironis commentariis scripsisse videtur. In summa igitur, ut credo, de re privata Ciceronis satis absolute scribere possumus, etsi multa aut ambigua aut parum clara manent.

Qua de materie multi scriptores ante nos strictim dixerunt; nullus est vero qui de ea sermonem peculiarem composuerit. Horum qui generaliter res populi romani perscripserunt non omnino quidem nobis negligendi sunt; qui vitas scripserunt, ut Morabin, Middleton, Drumann, Leclerc, Boissier et alii, magis nobis prosunt[1]. Sunt qui, quum de variis materiis libros conficerint, de aliquibus rebus tractaverint in quibus ipse versatus est : de

1. Morabin, *Histoire de Cicéron*, 1745. — Middleton, *History of the life of M. T. Cicero*, 1747. — Leclerc, *Vie privée et littéraire de Cicéron*, in *Œuvres complètes de Cicéron*, 2e édit., 1823 sq. — Drumann, *Geschichte Roms*, 1841, t. V et VI. — Boissier, *Cicéron et ses amis*, 5e édit., 1879. — Forsyth, *Life of Cicero*, 1864. — Trollope, *Life of Cicero*, 1880, etc.

eloquentia romana Poiret, de publicanis Deloume libri de Cicerone tacere non potuerunt[1]. Sunt etiam quædam minuta scripta de plurimis ejus vitæ rebus quibus uti liceat. Maximam tandem utilitatem sumpsimus ab iis qui de Ciceronis operibus, præsertim de epistolis, commentaria scripserunt, ut Manutius, Corradus, Mongault, Prevost, Grævius, Borghesi, Orelli, Nisard et recentissimus Tyrrel. Ex editione Wesenberg [2] laudantur hic ejus epistolæ.

II

Antequam de Ciceronis re privata singula sigillatim persequamur, necesse est paucis verbis nos ejus historiam in summa informare.

Cujus priorem majoremque partem ante consulatus annum parum novimus. Credi potest fortunas ejus, quum publicis negotiis minus hærerent, habuisse minores vicissitudines et crevisse pæne constanter cum ipsius fama. A patre domum Arpinati, alteram Romæ, cum paucis numeratis nummis, acceperat. Sed jam ante consulatum multa patrimonio adjunxerat. A. U. c. 677 (a. C. 77), Terentiam duxerat cum dote. Ex primis ad Atticum epistolis jam videmus eum possidere Tusculanum et plures villas, et ad ea ornanda multos et magnos sumptus fecisse. Re sane non inter principes Urbis erat, non vero parvus. Illa erat videlicet satis sufficiens et forte minus obligata quam posterioribus temporibus.

Cum anno consulatus ortum est illi ævum splendoris et simul quoque initium impedimentorum omnis generis quibus per reliquam vitam obstrictus est. Non sane consulare imperium in lucrum vertit, sed, quum inter primos civitatis emersisset, decere ipsi visum est cum majore dignitate et liberalitate vivere. Bonum nomen in urbe existimabatur et favore omnium, in primis equitum et publicanorum fruebatur; itaque aliena pecunia magis quam sua splendidam domum Crassi emit. Simul Tusculanum, Pompeianum

1. Poiret, *Essai sur l'éloquence judiciaire à Rome pendant la République*, 1886. — Deloume, *Les manieurs d'argent à Rome*, 2e édit., 1892.

2. Lipsiæ, 1873, 2 vol. in-12.

et ceteras villas ornabat ; alias verisimiliter emere pergebat. Nullo tempore postea liberalius aut tam liberaliter vixit.

A. U. c. 696 (a. C. 58) pæne omnino corrupta res ejus exsilio est. Clodio auctore, Roma egredi coactus est. Incensæ et spoliatæ villæ et domus, proscripta bona sunt. Exsul ingemebat se nihil filio esse relicturum « præter invidiam et ignominiam nominis sui[1] », et Terentiam orabat ne propriam rem impenderet, ut aliquid pueris superesset. Ruina vero non est consummata. Nam amicorum opibus et auxiliis primum adjutus, deinde restitutus est. Bona sunt ei reddita, et area domus et villarum ; damna denique respublica præstitit. Non vero, ut videtur, absolute res ejus iterum valuerunt et prosperæ factæ sunt. Nam ære alieno obrutus erat ; immo pecunia quam senatus ei delegaverat injuriæ acceptæ impar erat. Cupivit reficiendas villas vendere, non potuit. Reficere eas oportuit igitur. Paulo post natam suam Crassipedi collocavit ; quæ nuptiæ novam pecuniam desideraverunt. Sæpe cum argentariis et fœneratoribus Romæ transigere coactus est. Ubi iterum interquiescere potuit, cœpit vivere liberalius. Domum et villas satis magnis sumptibus reparavit. Puteolanum tunc forte emit. Cum pecunia a Cæsare mutua data et aliquibus hereditatibus omnibus his sufficere potuit. A. U. c.703 (a.C.51) in Ciliciam proficisci debuit : non vero imperio usus est ad lucrum faciendum, ut alii multi : paucos nummos quos contraxerat ad Pompeium deferre debuit et sane nihil ex iis postea recepit. Pecunia quam ad triumphum destinaverat nomina solvit.

Post reditum, reipublicæ rationes in magno discrimine invenit. Conatus est, non vero potuit, Pompeium et Cæsarem amicos facere. Nec ejus res, forte negligentia uxoris et ejus liberti Philotimi, meliores quam publicæ erant. Quum Pompeium in Epirum secutus est a. U. c. 706 (a. C. 48), iterum pæne res ejus perierunt satis obscuris causis : non multum defuit, ut videtur, quin ipsa domus sub hasta veniret. Pompeianæ partes clade apud Pharsalum obrutæ sunt. Usque ad reditum Cæsaris valde impeditus negotiis fuit : a

1. *Ad. Att.*, III, 23, 5.

Terentia magis dissidebat in dies. Tulliæ dotem primum Dolabellæ solvere, deinde ab eo recuperare difficillimum erat; Brundisii cum lictoribus et magno comitatu vixit. Pecuniam undique petebat, et a villico ipso Attici capere debebat. Atticus consiliis et opibus fideliter eum et Tulliam sustentavit. Vixit in maxima inopia et angore per æstatem a. U. c. 707 (a. C. 47), exspectans dum reditus Cæsaris aut totam ruinam aut salutem afferret.

Rediens Cæsar eum familiariter complexus est. Ab eo tempore usque ad exitium, melior fuit habitus rerum ejus. Omnibus bonis, domo Romæ et villis, iterum frui cœpit. Duabus hereditatibus creditores famem primam expleverunt, et patientiores, quum in gratiam domini rediisset, facti sunt.

Longe tamen abfuit ut prosperæ res ejus essent. A. U. c. 708 (a. C. 46), duo genera sumptuum offendit. Oportuit filio annuos sumptus præstare ut Athenis liberaliter vivere posset; et matrimonium quo cum Terentia jungebatur dissolutum est. Quanquam ei non totam dotem restituisse videtur, tamen cum ea rationes habuit satis impeditas, unde sibi pecunia expetita est. Quum a Dolabella nihil expetere liceret, quum ex altera parte, nomen quoddam a Cæsare acceptum non facile solveretur, ad paulum reficiendas res divitem Publiliam duxit.

Non vero per longum tempus res ejus floruerunt. A. U. c. 709 (a. C. 45), iterum duas magnas impensas habuit. Paulo post obitum Tulliæ Publiliam dimisit; oportuit igitur dotem ejus reddere. Cupivit simul ad memoriam Tulliæ fanum exstruere; itaque pecuniam aggerere voluit. Ad id Faberii et Dolabellæ nomina minime adjuvabant. Quum non libenter venderet, debitores appellare, omissa consueta benignitate, coactus est. Brinniana et Cluviana hereditates itaque magnam utilitatem ei attulerunt, præsertim secunda, quæ constabat e numeratis nummis et prædiis. Non tamen plane res ejus emerserunt. Nam etiam postea mutuam pecuniam sumere debuit, præsertim quum a Quinto fratre debita sibi pecunia non solveretur. Usque ad finem epistolarum ad Atticum, etiam a. U. c. 710 (a. C. 44), videmus ejus rationes cum Publilio, Publiliæ fratre, cum Terentia, Dolabella et aliis, non plane expurgatas fuisse. Erant

tamen ejus fortunæ minus impeditæ et circa finem vitæ videntur fuisse in meliore conditione quam longo antea tempore.

Si hanc descriptionem in summa colligimus, duo primo adspectu notanda sunt. Ex una parte, de divitissimo homine non apparet agi. Nam, quanquam liberaliter vivit, pæne semper pecunia caret, ære alieno superatur, ad Atticum aut ad alios confugere debet, ad parvos nummos solvendos eget. Ex altera parte, jam manifestum est res illas satis impeditas et in magnis discriminibus fuisse, tam publicorum tumultuum quam privatorum eventuum causa. Contentionibus quæ magnæ cum Clodio illi fuerunt et deinde bello civili maxime corrupta sunt; damnum vero in secundo illo discrimine domesticorum negligentia auctum esse videtur. Patet nos non habere rem fructibus annuis simpliciter sustentatam, verum ex diversis fontibus haustam et satis irregulariter constitutam.

Tempus est nunc accuratiore et diligentiore informatione uti ad eam comperiendam quantum poterit.

DE CICERONIS RE PRIVATA

CAPUT PRIMUM

DE BONIS CICERONIS

I. Domus. — II. Villæ. — III. Summa et ratio bonorum. — IV. Terentiæ privata res.

Quæ fuerint privatæ Ciceronis fortunæ, nobis primum quærendum est ; etsi non multa a patre acceperat, tempore quo de re ejus satis informati sumus, annis scilicet post consulatum multa ab eo videmus bona possessa quæ describere debemus.

I

Romæ tunc habebat in Palatio domum Cicero, pretiosissimum et pulcherrimum omnium bonorum, Eam Drusus ædificaverat, Crassus deinde occupavit ; post Ciceronem, Censorinus et, Tiberio imperatore, Statilius Sisenna habuerunt [1]. In ea inquilinus Cicero plures ånnos priusquam emit fuit, quod ei inimici ut probrum objecerunt [2]. Non igitur verum est quod Plutarchus dicit, eum illam emisse ut propior esset clientibus [3]. Post consulatum, quum inter principes civitatis crevisset, placuit ei habere propriam domum in urbe, non conductam, quod viro optimo paulum indignum erat. Itaque, quum optimum nomen existimaretur et rumor in urbe esset eum illam esse empturum, eam emit HS. xxxv centies [4], a. U c.

1. Vell. Paterc., II, 14.
2. *Invectiva Sallustio adscripta*, 2; Sall., *Catil.* 31.
3. Plut., *vita Cic.*, 8.
4. Gallice 700,000 fr. *Ad. fam*, V, 6, 2.

692 (a. C. 62). Ad hanc pecuniam solvendam tantum æris alieni mutuari coactus est, ut per jocum Sestio scribebat se cupere conjurare, si quis ipsum reciperet. Iis qui eum reprehendebant prætendere potuit exemplum consulis Messalæ, qui similiter facultatibus amicorum usus est ad domum emendam[1]. Creditores habuit P. Syllam qui HS. xx centies mutua dedit[2], et quamdam Τεῦκριν, ut dicit, ficto nomine; sic Antonium, qui consul secum fuerat, aut mulierem ei familiarem designat : non sine mora pecuniam ei illa attulit ; verisimiliter etiam apud argentarios quosdam urbis mutuari debuit[3]. Quum paulo post exsul Roma fugit et bona proscripta sunt, domus a Clodio tribuno direpta et eversa est ; ornamenta detracta ; et diis dedicata area[4]. Etsi de divitiis parum curare dictitaret, inter omnia domum maxime desideravit et, ubi aliquid spei recepit, ad eam recuperandam animum intendit[5]. Quum rediit, dedicatio abrogata est, restituta area et HS. xx centies attributa ad ædes reædificandas[6]. Clodiani ne hoc perficeret impedire tentaverunt, non vero potuerunt[7] ; quamvis id consilium, quasi Clodium ita provocaret[8], vituperaretur, ad novam domum instruendam operam dedit. Ipse architectos et fabros direxit, quum simul inspiciebat eos qui domum Quinti fratris reficerent, quæ, alteri connexa, simul eversa erat. His operibus sæpe in epistolis ad Quintum alludit. Mense Martio a. U. c. 698 (a. C. 56), scribit : « Domus utriusque nostrum ædificatur strenue : redemptori tuo dimidium pecuniæ curavi : spero nos ante hiemem contubernales fore[9]. » Non tamen tam cito opus finitum est. Nam a. U.

1. *Ad Att.*, I, 13, 6.
2. 400,000 fr. Gell., XII, 12.
3. *Ad Att.*, I, 12, 7; 14, 7.
4. Plut., *Cic.*, 33; *orat. post. redit.*, 7; *pro domo sua*, passim : « Columnæ marmoreæ ex ædibus meis, inspectante populo romano, ad socrum consulis portabantur... domus ardebat in Palatio ». (Id., 24.)
5. *Ad Att.*, III, 15, 6; 20, 2; *ad fam.*, XIV, 2, 3.
6. 400,000 fr. *Ad Att.*, IV, 1 et 2; cf. *orat post redit.* et *pro domo sua*, passim; Vell. Paterc., I, 45; Dio, XXXIX, 1.
7. *Ad Att.*, IV, 3, 2; cf. Dio, XXXIX, 20 et 21.
8. *Ad Att.*, IV, 5, 3.
9. *Ad Quint.*, II, 4, 2.

c. 699 (a. C. 55) aliqua ornamenta Attico commendat [1] et mense Novembri a. U. c. 700 (a. C. 54) aliqua etiam imperfecta fuisse patet [2]. Quum tamen de expolitione tunc ageretur, credere licet illam paulo post iterum habitandam fuisse.

Adeo splendidissima et ornatissima hæc domus erat ut eam emisse et coluisse sæpe Ciceroni inimici ut probrum objecerint [3]. Sola area æstimabatur HS. xv centies [4]; probabile est igitur eam magnum spatium occupavisse. Cicero hic, in media Roma, ut ipse dicebat, habebat « otium omni desertissima regione majus [5] ». Jam ante exsilium dicebat se nihil ex bonis suis malle quam domum [6]; postquam ipse eam, ut volebat, refecerat, cariorem etiam eam, si potest fieri, habere debuit; et quum confiteatur ipse eam nulli suarum villarum cedere, eam inter omnes præstitisse nobis credere licet [7]. Erat sane ut castellum multis servis et libertis ornatum. Initio belli civilis Terentiæ præcepit Cicero « domus ut propugnacula et præsidium haberet », si forte tumultus Romæ esset [8]. In loco parum dilucido, quo se miserrimum dicit, de domo, ut opinor, agitur, quam, ut a Chrysippo nuntiabatur, aliqui Cæsariani sub hasta venire cupiebant ad nomina ejus solvenda, ipso Pompeianas partes secuto [9]. Non vero hoc damno afflictus est, et, post reditum Cæsaris, ea usque ad finem vitæ fruitus est.

Licet nobis conjicere eum habuisse etiam nonnullas alias domos in urbe, non vero affirmare. Domum paternam in Carinis Quinto detulerat et, antequam domum Crassi emerat, inquilinus Romæ erat. Quod scribit ad Quintum : « Tribus locis ædifico, reliqua reconcinno [10] », forte, ut ostendemus, bona peculiaria Terentiæ spectat. Quod si vel alteram vel alias domos etiam in urbe habuit,

1. *Ad Att.*, IV, 10, 2.
2. *Ad Quint.*, III, 3, 1.
3. *Ad Att.*, I, 16, 10; *invect. Sall.*, 2.
4. 300,000 fr. Quod ex *ep. ad Att.*, IV, 2, 5 patet : ibi *superficies* ut *ædes* intelligi debet.
5. *Ad fam.*, VI, 18, 5.
6. *Ad Att.*, III, 20, 2.
7. *Ad fam.*, II, 8, 5.
8. *Ad fam.*, XIV, 18, 2.
9. *Ad Att.*, XI, 2, 3.
10. *Ad Quint.*, II, 4, 3.

illæ quidem non magnæ nobis habendæ sunt; sane vectigales erant et locari solebant[1].

II

Si urbe egredimur contra, videmus eum plures possedisse villas. Optimatibus enim et divitibus civibus, quum per æstatem urbs habitari non posset, mos erat extra muros urbis, non vero procul ab ea, villas habere in quibus amœno frigore frui possent, dum simul recentiora ex urbe audiunt. Increbrescebant aliqua loca; alia spernebantur. Non erat ornati hominis Romæ manere aut in loco quolibet extra dies consuetos anni[2]; et principibus civitatis erant villæ cujusque temporis. Quin etiam, quum viros sublimes non deceret publicis cauponis uti, habebant in intervallo villarum deversoria propria aut deversoriola, ut vocabantur, in quibus commorari per paucos dies poterant. Sic optimatem, cui liberaliter vivere in animo esset, necesse erat numerum villarum possidere, quem ut immodicum mirari solent qui mores veterum non satis respiciunt.

Quod igitur ceteris sollemne erat et ipse Cicero fecit, dum villas emit plures quas diligentissime ornavit et omnibus deliciis vitæ munivit. Eas valde optabat et « ocellos Italiæ[3] » vocabat. Imminente bello civili, antequam Pompeianum exercitum peteret, dixit se velle semel etiam « circum villulas suas errare », quas se visurum postea desperaret[4]. De iis in plurimis locis epistolarum sermo est; nam eas ædificare aut ornare inter ea quæ maxime cordi erant habebat. Numeratæ sunt igitur a multis scriptoribus. Non facile est tamen exquisite dicere quam multas habuerit. Nam non semper verba ejus satis aperta sunt. Quum sæpe alii aliorum villis uterentur, quum mutua familiaritas erat, et multi sese invicem hos-

1. Ex *ep. ad Att.*, XV, 26, 4, conjici potest eum etiam aliquas possessiones in Carinis habuisse. Sed locus est corruptissimus, de quo innumerabiles conjecturæ sunt. Patet de domo quadam et de venditione cujusdam prædii aut domus Ciceronis HS. CCCLXXX (76,000 fr.) agi.

2. *Ad Att.*, XII, 40, 2.

3. *Ad Att.*, XVI, 6, 2.

4. *Ad Att.*, VIII, 9, 3.

pites habere solerent, de nonnullis locis, quæ in epistolis designantur, non facile est dicere utrum Ciceroni fuerint an amico. Eas non omnes simul habuit. Inter se maxime differebant. Erant quæ omnibus commodis vitæ ornarentur, villicis et procuratoribus munitæ : illæ proprie *villæ* appellabantur, et voluptariæ præcipue erant. *Horti* dicebantur non modo proprii horti, sed villa cum iis. *Deversoria*, ut diximus, erant multo minora loca, et parvi pretii, in quibus non plus quam paucos dies manere mos erat. *Fundum* Cicero villam agris et coloniis instructam vocat. *Prædia* aut *prædiola* ruralia bona præsertim sunt, vel voluptaria, vel vectigalia; nomen vero non est valde proprium, sed communiter dicitur de omnibus artibus bonorum immobilium et urbanorum ipsorum. In summa, expeditius erit villas, id est magna prædia, et deversoria, id est parva, distinguere.

Ut nobis videtur, extra muros urbis habuit villas, illo nomine merito vocatas, novem : Arpinatem, Tusculanum, Antium, Asturam, Formianum, Cumanum, Puteolanum, Cluvianum, Pompeianum. Non plures fuisse eas affirmare possumus et sane nonnullas earum satis modicas.

Semper dilectissimus ei fuit « paternus avitusque fundus Arpinas[1] ». Duobus fluminibus, Liri et Fibreno, alluebatur. Hunc locum ut amœnum, quietum et exquisitum in libro *de legibus* inscripto describit[2]. Locum, jam a patre ornatum, ornare Cicero perrexit[3]. Ejus villarum illam fuisse maximam Plutarchus nos monet[4]. Ceterarum plurimis hoc differebat quod non voluptaria modo erat, sed etiam vectigalis. Nam erant hic prædia, villicis sane locata, ex quibus erant mercedes, ad quas constituendas ipse Cicero Arpinum veniebat[5].

Ex voluptariis villis celeberrima et pulcherrima Tusculana erat : quam, olim a Sylla, Catulo, et Vettio possessam, Cicero quatuor

1. *De lege agraria*, III, 2, 8.
2. *De legibus*, I, 1 ; 3, etc.
3. *Ad Att.*, I, 16, 18.
4. Plut., *Cic.*, 8.
5. *Ad Att.*, XIII, 9, 2 ; 11, 1.

annos post mortem Catuli emit[1]; quod ei, homini novo, vehementer inimici crimini dederunt[2]. Ejus superficiem, omissa area, Cicero plus quam quingenta millia sestertium æstimabat[3]. Aqua Crabra irrigabatur et ad hoc annuum tributum Tusculano municipio reddebat[4]. Carissimum illi fuit eam omnibus modis ornare. Ad hoc ab Attico poscebat et accipiebat signa, tabulas pictas, Hermathenam et alia pretiosa[5]. Cincio, Attici liberto, pro signis Megaricis, quæ in ea collocavit, curavit HS. xxiv[6]. Ad eam decorandam amicus quidam tot signa et alia munda misit ut eadem pecunia deversorium emere potuisse scriberet[7]. Porticus, bibliotheca, exhedræ cum tabellis, lycæum, gymnasium quod Academiam vocabat, ibi erant. In ea villa forsitan fuerit mensa ista citrea quam, falsa lectione, ut opinor, Plinius a Cicerone emptam HS. d dixisse creditur[8]. Ære alieno, « circumforaneo », ut dicit, horum ornamentorum multa comparata sunt. Tempore exsilii, ut Formianum et domum Romæ, hanc villam Ciceronis inimici diruerunt et cremaverunt: in fundum vicini consulis, ut dicebat « non instrumentum aut ornamentum villæ, sed etiam arbores transferebantur[9] ». Post reditum area cum HS. d reddita est[10], quod non satis ei visum est. Itaque ista pecunia domum Phameæ in Lanuvino agro emere voluit, quum id minoris impensæ fore putaret, et Tusculanum proscripsit; sed non potuit vendere[11]. Itaque ædificatum est iterum. Ciceronem sane non multo pœnituit quod illud non vendiderit. Ante exsilium ad Atticum scribebat: « Nos ita Tusculano delectamur ut no-

1. Plin., *N. H.*, XXII, 6, 12; *ad Att.*, IV, 5, 2; *dial. orat.*, II, 3.
2. *Ad Att.*, IV, 5, 2; *invect. Sall.*, 2.
3. 100,000 fr. *Ad Att.*, IV, 2, 5.
4. *Ad fam.*, XVI, 18, 2; *de lege agr.*, III, 2; cf. *ad Att.*, V, 12, 3.
5. *Ad Att.*, I, 3, 2; 4, 3; 5, 7; 6; 10.
6. 4,800 fr. *Ad Att.*, I, 7; 8, 2.
7. *Ad fam.*, VII, 23, 3.
8. 100,000 fr. *N. H.*, XIII, 15, 92. Aliarum mensarum pretia HS. xii, xiii et x, (2,400 fr., 2,600 fr. et 2,000 fr.,) dicuntur; quæ certe ab illa non multum differebant.
9. *Pro domo sua*, 24; cf. *oratio post reditum*, 7.
10. 100,000 fr. *Ad Att.*, IV, 2, 5.
11. *Ad Att.*, IX, 9, 4; non ad hoc, etsi dictum est, *ep. ad Quint.*, II, 2, 1, pertinet.

bismet tunc denique quum illo venimus placeamus[1] » : sane non minus carum illud postea habuit[2]. Ibi multa scripsit et dialogorum illustrium locum hanc villam posuit. Ex satis obscuris verbis conjectum est fructum ab hortis, qui circa villam erant, capere Ciceronem voluisse[3]; non vero plane manifestum est.

Prope ab amœnissimo Tyrrheno reliquæ Ciceronis villæ erant. Quum Antii, non procul a Roma, deceret omne optimates convenire et domum habere, ibi habuit non villam proprie, verum domum in ipsa urbe[4], sumptuosam scilicet quum eam ædem vocaret. Ibi tam magna cura Tyrannio libertus libros disposuerat ut mens addita domui videretur; magna eorum copia erat, quibus Cicero se delectabat. Nihil illa villa esse quietius aut amœnius scribebat[5]. Non vero per longum tempus eam servavit : nam a. U. c. 705 (a. C. 49) non jam eam possidebat, quam Lepidum a. U. c. 709 (a. C. 45) habuisse constat[6]. Licet credere Ciceronem eam vendidisse, postquam in urbem regressus est, nullo Tusculani emptore reperto. Ibi eum alteram domum emisse, aut forte, ut ex nomine « Antiati » conjici potest, ruri habuisse opinor : Antiati enim nonnullæ epistolæ scriptæ sunt tempore quo apud hospites vivere moleste tulisset[7]; immo, non sine villa mansisset in loco quo aliquid prædii fere omnes optimates habere solebant.

Asturam, verisimiliter minus sumptuosam, post obitum Tulliæ confugit : quam villam in solitudine et recessu in insula fluminis Asturæ dolori aptum locum habebat[8]. Ex quodam loco epistolæ[9]: « ibi non litteris difficilius utor quam si domi essem », non licet credere eum fuisse apud amicum; vult enim dicere : « quam si in domo mea Romæ essem ». Non tunc alienam domum aut conductam in tanto mœrore habitavisset. Quod certius etiam erit si addide-

1. *Ad Att.*, I, 6, 2.
2. *Ad Att.*, XII, 3, 1.
3. *Ad fam.*, XVI, 18, 2.
4. Quod patet ex *ep. ad Att.*, IV, 8 a, 1; cf. *ad Att.*, II, 3, 3.
5. *Ad Att.*, 8 a; cf. 4 b, 1, et II, 6, 1.
6. *Ad Att.*, IX, 9, 4; XIII, 47 b, 1.
7. V. ex. *ad Att.*, XII, 9 et 10.
8. *Ad Att.*, XII, 14, 3.
9. *Ad Att.*, XII, 13, 1.

rimus amicos secum ibi habuisse Ciceronem et postea litteras scripsisse [1]. Liceret credere eum in illo tempore hanc domum emisse, quum scriberet se « latibulum et perfugium doloris » emere velle [2], nisi jam Asturæ erat, quum hoc scribebat.

Ut Tusculanum, Formianum Ciceronis deletum quum exsul esset, et deinde restitutum fuit. Non videtur autem ei tam carum fuisse. Superficies HS. ccl æstimata est [3], quod Ciceroni nullo modo satisfecit. Magnæ impensæ et curæ fuit ad iterum ædificandum. Quum ibi a. U. c. 695 (a. C. 59) Cicero erat, tam multi visitatores erant ut jocose scriberet se basilicam habere, non villam; et mirificam occasionem esse « si quis nunc emere de se fundum Formianum » vellet [4]. Illud in aliquo loco vocat bonum, quod « neque relinquere neque videre [5] » ipse potest : sane decebat eum habere ibi villam et illi non otium erat ad eam visitandam ; quam crederem venditam esse, nisi pateret ibi Ciceronem interfectum fuisse [6].

Cumanum, quod nonnunquam appellat villam ad Lucrinum aut ad lacum, per jocum Cumana regna vocabat et valde expetenda dicebat, sed, ut Puteolanum, interpellantium multitudine fugienda [7]; ibi villicos et procuratores habebat, et Piliam, Attici uxorem, hospitem habuit [8]. Illud tamen quoque minusculam villam dicit. Rumor fuerat eum fuisse id venditurum, sed falsus [9]. Pindarum emptorem negavit [10].

Puteolanum videtur Cicero a. U. c. 699 (a. C. 55) acquisivisse, seu ut heres, seu propriis nummis. Nam in epistola ad Quintum illam « villam apertam ac ne rudem quidem » vocat et se cum fabris habitare dicit. Addit esse hortum domi [11]. In posteris temporibus

1. *Ad Att.*, XII, 26, 1; XIV, 2, 4; 5, etc.
2. *Ad Att.*, XII, 13, 2.
3. 50,000 fr. *Ad Att.*, IV, 2, 5.
4. *Ad Att.*, II, 14, 2.
5 *Ad Att.*, IV, 2, 7.
6. Sén., *suasor.*, VI, 7. Eamdem nonnunquam Cicero Caietam domum vocat. (*Ad Att.*, I, 4, 3.)
7. *Ad Att.*, XIV, 13, 5; 16, 1.
8. *Ad Att.*, XIV, 15, 3; 16, 1.
9. *Ad Att.*, XIV, 13, 5.
10. *Ad Att.*, XVI, 1, 5.
11. *Ad Quint.*, II, 8, 3 et 4.

Cæsarem cum magno comitatu habuit hospitem[1]; deinde Hirtium[2]. Patet igitur « Puteolana regna » non adeo modica fuisse. In eo loco fuit postea sepulcrum Hadriani[3].

Puteolis quoque erant horti quos ex hereditate Cluviana a. U. c. 709 (a. C. 45) obtinuit; de quibus quum de hereditatibus Ciceronis res agetur pauca dicemus.

Pompeianum denique « infinito sumptu » inimici eum ornavisse arguebant[4]; quæ villa sæpissime in epistolis laudata locus otiosus, non vero inter ejus splendidissimas villas, fuisse videtur[5].

Hæc igitur præcipuæ Ciceronis villæ erant. Verisimile est nos novisse omnia quæ habuerit; eum vero non simul eas omnes habuisse : de Antio scimus quando venditum, de Cluviano quando emptum fuerit. Non facile est contra accuratam numerationem facere ejus deversoriorum. Nam talia prædiola et domunculæ facile emebantur vendebanturque; et certe non per totam vitam habuit ea quibus in epistolis alluditur. Quum sibi numerata pecunia erat, libenter domum emebat, et vendebat quum nummis indigebat[6]. Prædia emere erat ars non spernenda pecuniæ ponendæ, quippe quum Romani principes non libenter magnum pondus argenti domi haberent et mutuum dare aut in publicanorum operis deferre nollent.

Solonii, ut videtur, habuit domum[7], quam sane cito vendidit. Frusinati fundum quem vendiderat, redimendum vero ad ejus voluntatem, redimere cupivit in pessimo statu fortunarum; paulum majorem verisimiliter et sibi carum[8]. Credi potest habuisse eum Anagninum deversorium[9]; aliud forte Lanuvii. Earum villarum una vel altera forsan sit ea quam a. U. c. 705 (a. C 49) dicebat se

1. *Ad Att.*, XIII, 52; XV, 1a, 2.
2. Spart., *vit. Hadr.*, 25.
3. *Invect. Sallust.*, 2.
4. *Ad Att.*, I, 20, 1; V, 3, 1; XV, 13, 6; XVI, 11, 6; *ad fam.*, VII, 3, 1; Plut., *Cic.*, 8.
5. *Ad Att.*, XI, 4, 1.
6. *Ad Att.*, II, 3, 3.
7. *Ad Att.*, XI, 4, 1 et 13, 1.
8. *Ad Att.*, XII, 1, 1.
9. *Ad Att.*, XII, 41, 1; XIV, 4, 1; 2, 4.

emisse de Canuleio per Vettienum HS. xxx, HS. L primum petitis[1]. Sinuessanum deversoriolum forsan emerit post obitum Tulliæ; quod contemni a Cornificio per jocum indignabatur[2]. Verisimile est eum plura etiam habuisse alia talia deversoria aut iisdem, aut diversis temporibus. Non tamen dicendum est eum possedisse omnia loca ex quibus ejus epistolæ scriptæ sunt. Nam amicorum domis utebatur, ut illi suis, aut conducebat aliquam ut Quintus[3]. Itaque de multis prædiis quæ commentatores ei attribuerunt, quia ex iis sint epistolæ scriptæ, nihil certum habemus[4].

Patet eum alias etiam domos emere voluisse quas aut eum emisse nescimus, aut nescimus an emerit. Videmus eum desideravisse deversorium Terracinæ, suburbanum quoddam, domum Syllanam, domum Phameæ, Tusculanum Culleonis, Puteolanum Hortensii, hortos Tullianos[5]. Ex debitoribus videtur domum, Romæ verisimiliter, accepisse[6].

III

Vidimus igitur eum satis multa prædia et domos habuisse, facile vendidisse et præsertim emisse. Non tamen hæc verbis amplificanda sunt nec horum bonorum copia et impensæ, quæ ad ea emenda et sustentanda necessariæ erant, ostentandæ sunt, ut Ciceronem pro divitissimum habeamus.

Non temere nec sine cura emebat, etiamsi aliquid vehementer cupiebat. Ut exemplum habeamus, de hortis Tullianis pauca scribere licet[7].

1. *Ad Att.*, X, 5, 3 (6,000 fr. et 10,000 fr.).
2. *Ad fam.*, XII, 20; cf. *ad Att.*, XIV, 8, 1.
3. *Ad Quint.*, II, 3, 7.
4. Capmartin de Chaupy, *Découverte de la maison d'Horace*, 1767-1769, t. I, p. 156 sq.
5. *Ad fam.*, VII, 23, 3; *ad Att.*, IV, 24; *ad fam*, IX, 15, 5; *ad Quint.*, II, 2, 1; *ad fam.*, VII. 3, 9 et infra. Quod de prædiis Memmianis et Atilianis in *ep. ad Att.*, V, 1, 1, dicit certe acquisitionem, aut potius venditionem fundi cujusdam significat.
6. *Ad Att.*, XIII, 23, 3.
7. V. *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, t. I, p. 370: Mongault, *Remarques sur le fanum de Tullie, fille de Cicéron.*

Defuncta Tullia, quæ tam cara patri fuerat ut inimici hunc amorem scelerate interpretati essent, maximo luctu confectus pater Asturam recessit, vitatis recordationibus, et ibi tanto dolore absumptus est, ut etiam amici eum reprehenderent et animi demissionem vituperarent. Omne solatium dolor vincebat[1].

In tanto mœrore hoc unum animo gratum fuit : Tulliæ æternum monumentum devovere et paternum dolorem in sæcula extendere. Non sepulcrum, sed ἀποθέωσιν fieri cupivit[2], et ad hoc filiæ fanum ædificare statuit; idcirco locum emere apertum et frequentem, ut major honor defunctæ esset.

Ab initio Martis mensis a. U. c. 709 (a. C. 45) epistolæ ad Atticum librorum XII et XIII in illo fano vertuntur. Atticum patet, quum Ciceronis domestica res jam valde impedita esset, ab impensa illa eum deterruisse, non aperte videlicet, sed difficultates et moras faciendo. Cicero vero urgebat : columnas conficere cum Apella Atticum orabat[3]; cum Cluatio architecto de monumento statuebat[4]. Ante æstatem absolutum templum volebat[5]. Non pretium pertimescendum esset : « Nec mihi, scribebat, jam argento, nec veste opus est, nec quibusquam amœnis locis : hoc opus est[6]. » Non tamen studio et properatione impeditus est, quin locum prudenter eligeret et suis facultatibus consuleret.

In agris cupiebat sepulcrum ædificari, non in villa, quia commutationem dominorum reformidabat. De loco eligendo multa consilia ei in mentem venerunt.

Antequam Roma discederet, cum Attico de hoc egerat. Insulam Arpinati, quam ad sumptus vitandos indicaverat ille sane, recusabat Cicero, quia solitudinis causa fanum minorem τιμὴν habuisset; locum quoque deinde, quem in mari ipso Atticus etiam dixerat[7]. Invitus Atticus coactus est trans Tiberim jacentes hortos visitare

1. *Ad Att.*, XII, 18, 1; 14, 3; 40, 2; *ad fam.*, V, 14.
2. *Ad Att.*, XII, 1, 2.
3. *Ad Att.*, XII, 19, 1.
4. *Ad Att.*, XII, 18, 1; 36, 2.
5. *Ad Att.*, XII, 19, 1.
6. *Ad Att.*, XII, 23, 3.
7. *Ad Att.*, XII, 12, 1; 19, 1.

quos, ut celeberrimos, maxime ad propositum, jam priusquam Roma profectus erat, convenire Cicero putabat. Multorum vicissim hortos respexerunt. Cum Silio pæne confectum est[1]; sed in longum res tracta est, quum Silius prædium quoddam aliud simul vendere vellet, Atticus vero negotio minime faveret[2]. Deinde Scapulæ horti maxime Ciceroni placuerunt[3]; sed erat difficultas : mortuo Scapula, ex heredibus ejus Otho ditissimus hos valde optabat. Si heredes inter se hereditatem licitatione dividebant, nullo modo eos Cicero habere poterat; si ad tabulam veniebant et præconi subjiciebantur, Ciceroni, ut cuilibet, emere licebat. Sed, ut publica auctio fieret, oportebat ex heredibus unus eam posceret. Quod ut ipse facere posset, Cicero partem Virginii exsulis, unius heredum emere voluit; non emit vero, a Mustela herede, ut videtur, auctione petita [4]. Atticus hortos visitavit, qui valde Ciceroni placuerunt.

Non plane constat quomodo res confecta sit; constat vero Ciceronem nec eos, nec, ut videtur, aliud prædium emisse. Videmus Atticum eum iterum hortatum esse ut aliquid Tusculani efficeret, sane ut sumptus minores essent; quod tandem effecit verisimiliter [5]. Itaque cupiditatem initio tam magnam ne explere quidem potuit postremo.

Notandum est etiam Ciceronem eo ipso tempore quo vehementer emere cupiebat, quum scribebat : « Vincemus facultates Othonis nostra cupiditate [6] », et omnia cetera prætermittenda esse dicebat, non sine ratione et moderatione egisse. Curabat quomodo legem sumptuariam Cæsaris de sepulcris vitaret [7]; confitebatur se scire τετυφῶσθαι [8]; paulo post scribebat : « Major res est quam facultates nostræ præsertim adversario et cupido et locuplete et herede [9] » sentiebatque se nihil pæne emere posse nisi nomina a Faberio et aliis

1. *Ad Att.*, XII, 25, 1.
2. *Ad Att.*, XII, 28, 1; 31; 34.
3. *Ad Att.*, XII, 37 sq.
4. V. comment. Le Clerc in *ep. ad Att.*, XIII, 33.
5. *Ad Att.*, XII, 37, 2; XIII, 18.
6. *Ad Att.*, XII, 40, 4.
7. *Ad Att.*, XII, 36, 1.
8. *Ad Att.*, XII, 25, 2.
9. *Ad Att.*, XII, 43, 2.

solverentur. Se excusat alicubi quod in mentem venit orbatum annuo fructu prædium emere[1]. Pretii denique non maximi horti erant. Drusiani horti, quos primum emere Ciceroni in mentem venerat, minoris erant quam Siliani, et jam majoris quam ut Attico placerent[2]. Siliani non magno constabant : nam ad eos solvendos HS. XII[3] in manum data Cicero sufficere putabat, reliquæ pecuniæ Silio usura facta. Ut tam parva pecunia commemoretur et præsens Silio sufficeret, non magni pretii profecto erant. Scapulæ hortos Atticus a Cicerone petebat quanti emeret. Respondit Albanium vicinum emisse bonum HS. CXV et addidit : « Omnia scilicet nunc minoris; sed accedit cupiditas [mea][4]. » Non hic est regalis sumptus. Ciceronem non emisse tandem etiam meminisse oportet.

Patet igitur Ciceronem, etiam quum aliquid maxime cuperet, non temere emisse et inconsulto. Ex altera parte pretium et numerum ejus prædiorum verbis amplificare non oportet. Domum in urbe habebat HS. XXXV centies (700.000 fr,) et ad maximum octo magnas villas, quas etiam verisimiliter non uno et eodem tempore habuit. Maxima Arpinas erat. Post illam pretiosissima Tusculanum et Formianum sine area HS. D (100.000 fr.) et HS. CCL (50.000 fr.) æstimabantur. Alia minoris pretii erant. Deversoriorum numerum nescimus. Si eum decem eodem tempore habuisse dicimus, ut credo, satis erit. Quanti emerit unum novimus : HS. L (10.000 fr.) petebantur; dedit HS. XXX (6.000 fr.). Non igitur decem hæc omnia magis quam HS. D (100.000 fr.) constare nobis credere licet. Non hæc est magna pecunia.

Ad hoc quidem necesse est addamus servos, villicos, supellectilem, ornamenta, instrumenta, pretiosa multa, quæ præsertim in domo urbis et in Tusculano erant. Nullo modo qualis fuerit summa hujus

1. *Ad Att.*, XII, 31, 2.
2. *Ad Att.*, XII, 23, 3; 31, 3.
3. 2.400 fr. HS. DC bis repetita in *ep. ad Att.*, XII, 25, 1 falsa est lectio, ut opinor cum quibusdam commentatoribus : quod plane pateret, si in eo quod in *ep ad Att.*, XIII, 29, 2 scribit : « [villa Scapulæ] prope dimidio minoris constabit isto loco », « isto loco » ex Silianis hortis dici intelligeretur : nam pretium Scapulanorum hortorum est notum.
4. *Ad Att.*, XIII, 31, 4.

rei nisi temere possumus dicere : unum modo aftirmare licet : hanc plures scriptores verbis multum amplificavisse.

Nos non fugit etiam omnia hæc bona pignoribus vacua et liberata non fuisse. Videmus eum, quum aliquid emere volebat, non sæpe habere præsentem pecuniam et aliud bonum minime libenter vendere. Itaque aut moras petebat, aut pecuniam mutuam sumebat. Ei non placebat urgeri ad solvendum ; etiam quum numeratos nummos haberet, non libenter ex iis nomina solvebat. Est ut pars ejus rei pro altera parte sponsa erit[1].

Non possumus annuos fructus computare quos ex bonis suis accipiebat. Non certe, ut plerique scripserunt, omnia ista solum voluptaria erant[2]. Dicit alicubi se vectigalia prædia satis habere ut iis possit esse contentus. Non libenter sine fructu aliquid emebat. Vidimus eum Arpinati mercedes constituisse ; prædia fructuosa cum quibusdam istarum domorum fuisse plane credere licet. Romæ potest eum habuisse tabernas et alia talia locanda. Forsan nonnullas villas ipse locaverit, ut Quintus frater, cui Lamiæ domum paternam conduxerant. Plutarchus eum « οὐσίαν μικράν » habuisse dicit : summam vero non significat[3].

Quæ quum ita sint ut pecuniam ad illas villas emendas effuderit (et sane aliquas ut hereditates accepit), non semper aliis sumptibus ei opus fuit ad eas sustentandas, et sane potuit fieri ut multarum annui fructus sumptibus majores essent.

Addendum est, præter dotalia bona de quibus pauca dicemus, Ciceronem non videri alia bona possedisse quam hæc prædia cum instrumentis et ornamentis. Ex multis locis, ut etiam monstrabimus, patet eum non domi numeratam pecuniam habuisse : et, quum habebat aliquam, hanc fuisse non reditum annuum positæ apud fœneratores pecuniæ, sed quasi inopinatam et variis artibus acquisitam. Quum habebat, aliquid emebat : hæc erat ejus ratio pecuniæ collocandæ ; exceptis parvis nummis, non apud argentarios et fœneratores habuit fructuosas pecunias.

1. De his omnibus, cf. cap. V, § 1.
2. *Ad Att.*, XII, 25, 1 ; cf. XI, 2, 2.
3. *Cic.*, 8. HS. xx quæ alicubi indicantur (*Parad.*, VI, 3, 48) certe non summam redituum prædiorum significant.

IV

Propriis autem his bonis Ciceronis addendæ sunt peculiares uxorum res. Nunc earum dotes omittimus, de quibus dicemus quum fontes ejus opum repetemus. Quum de Publilia nihil compertum sit, Terentia vero habebat rem peculiarem non tenuem, quam ipsa procurabat et quæ communem utilitatem conjugibus attulit. De ea pauca dicere oportet, ne opes Ciceronis augeantur, additis iis quæ conjugis propria erant.

Habebat saltum ; id est non modo silvam, verum prædium satis ingens. Mirabatur eum Cicero et scribebat ad Atticum : « Præter quercum Dodonæam nihil desideramus quominus Epirum ipsam possidere videamur [1]. » Privatis bonis se et totam familiam sustentavit per exsilium Ciceronis. Quum vendere cupivisset vicum quemdam ad maritum adjuvandum, oravit ille ne perderet filii et filiæ reliquas res [2]. In urbe ipsa erant ei domus quæ non parvo locabantur. Cicero alicubi quasdam « mercedes dotalium prædiorum » dicit. Manutius recte notat prædia non rustica bona sola vocari, sed nonnunquam urbana. Ut opinor, eadem sunt quæ vocantur « merces insularum » et « fructus insularum [3] ». Quum ex mercedibus illis adolescentis filii annui sumptus constituendi essent, scimus illa dotalia prædia esse domus Argileti et Aventini, quarum mercedibus suppeditandum filio esse Cicero præceperat [4]. Ante hoc tempus, ut videtur, non constanter locabantur. Mercedes illæ, si non primo anno, secundo saltem HS. LXXX [5] erant. Non poterant ex sola dote Terentiæ tanti oriri fructus. Probabile est, post divortium, quum Cicero liberorum curam haberet, Terentiam ut dotem filio fructus illorum prædiorum attribuisse, dum a Cicerone ipso quamdam pecuniam aut annuam aut semel numeratam reciperet. Quum inter Ciceronem et Terentiam concordia erat, Cicero qui ædificare ama-

1. *Ad Att.*, II, 4, 5.
2, *Ad fam.*, XIV, 1, 5; 2, 3.
3. *Ad Att.*, XV, 20, 4; 17, 1; XVI, 1, 5.
4. *Ad Att.*, XII, 32, 2.
5. 16,000 fr. *Ad Att.*, XVI, 1, 5.

batet sciebat ea verisimilitercurabat, ut Philotimus, uxoris libertus, ipsius negotia; quæ prædia forsan memoret his ad Quintum scriptis: « Tribus locis ædifico, reliqua reconcinno [1]. » Non vero illud plane affirmandum est.

In summa videmus rem privatam Ciceronis, etsi non inter maximas in urbe habenda est[2], et forte, detractis nominibus et bonis quæ Terentiæ erant, paulum modestior, copiosam sane et abundantem fuisse. « Ad nostrum usum propemodum jam est definita moderatio rei familiaris[3] », dicebat, eversis domi et villis. Illa paupertas quam jocose Plinius memorat [4] non erat molestissima; et certe aurea mediocritas erat. Res constabat ex prædiis et ex domis: quorum pars locabatur et annuos fructus reddebat, et altera voluptaria erat. Quanta fuerit non æstimare possumus nisi temere.

Quibus modis res illa acquisita, servata et sustentata sit, nobis nunc quærendum est.

1. *Ad Quint.*, II, 4, 3.
2. De opibus et consuetudinibus divitum civium, v. Marquardt et Mommsen, *Manuel des antiquités romaines*, gall. transl., t. X, p. 66 sq.
3. *Pro domo sua*, 58, 147.
4. *N. H.*, XIII, 15, 92.

CAPUT II

DE CICERONIS QUÆSTIBUS

I. Ciceronis patrimonium et uxorum dotes. — II. Cicero et publicani. — III. Ciceronis quæstus ut scriptoris et oratoris. — IV. Ciceronis quæstus ut magistratus. — V. De bonis exsulum Ciceroni emendis. — VI. Quæ munera et hereditates Ciceroni delata fuerint.

Plurimi sunt fontes opum Ciceronis quos singulos per ordinem repetere debemus. Earum partem majorem ipsum acquisivisse patet. Nam quod a patre et ab uxoribus accepit modicum est.

I

Non est verisimile patrem ejus adeo pauperem fuisse ut fullonis artificium exerceret, ut inimici dictitabant[1]. Ut cum Quinto tam liberaliter Tullius educaretur et omnibus artibus mentis ornaretur, satis magnis sumptibus opus erat. Non videtur tamen patrimonium ejus ex alio constitisse quam ex fundo Arpinati de quo diximus, e domo in Carinis sita, quam postea fratri Quinto tradidit[2], et videlicet ex aliqua numerata pecunia. Quantum hoc fuerit non possumus existimare ; non, ut videtur, maximum nobis ducendum est. Non manifesto patet quando paternam hereditatem creverit[3].

Ex nuptiis contra satis magnum quæstum habuit.

Terentiam a. U. c. 677 (a. C. 77) duxit; quam Plutarchus nos monet dotem $\overline{\text{cxx}}$ drachmas attulisse[4]. Erant ei, ut diximus, alia bona, multo uberiora videlicet, quorum aliqua : saltus, vicus et insulæ in

1. *Invect. Sallust.*, 2; Dio, XXVIII, 20; Plut., *Cic.*, 1.
2. *Ad Quint.*, II, 3, 7; Plut., *Cic.*, 8; Sext. Rufus, *de regionibus urbis Romæ*, 4.
3. *Ep. ad Att.*, I, 6, 2 non patris mortis tempus significat.
4. Circiter 108,000 fr. Plut., *Cic.*, 8.

Argileto sitæ, nobis comperta sunt; præter quæ sine dubio alia etiam erant, quum insularum fructum totum marito detulerit ad filium alendum; pares certe et verisimiliter majores quæstus illa sibi seposuerat, quum minime liberalis evaderet. Patet ex dote et præsertim ex propriis ejus bonis magnam utilitatem maritum cepisse, tempore quo inter eos concordia erat. Post divortium, ut dictum est, dotem aut ejus partem reddere debuit; insularum vero curam servavit, quod non parum ipsi profuit.

Secundæ nuptiæ Ciceronis, etsi nihil nisi via ipsi pecuniam comparandi erant, non multum auxilium ei attulerunt. Erant a patre bona divitis Publiliæ fidei ejus commissa, ut sæpe fiebat, ad legem Voconiam vitandam[1]; quam adolescentem, exeunte a. U. c. 708 (a. C. 46) aut ineunte a. U. c. 709 (a. C. 45) duxit, non, ut inimici objecerunt, quia teneriorem uxorem cupiebat[2]. Erat vero eo tempore res ejus maxime impedita; tum nicasionum[3] tabulas, ut ipse dicebat, reformidabat. Itaque, ut commentaria Tironis, a Plutarcho laudata, nos monent, probantibus amicis, ad nomina solvenda eam divitem duxit non multos menses ante obitum Tulliæ[4]. Non vero per longum tempus illis opibus fruitus est; paulo post enim eam repudiavit, quia morte Tulliæ gaudebat[5]. Erat quoque, ut videtur, socer quædam parum jucunda[6]. Publilius, Publiliæ frater, et verisimiliter Atticus, pecuniarum Ciceronis rationum curiosus, satis apud eum institerunt ut illam iterum reciperet. Noluit; dotem igitur restituere oportebat; quod sine mora faciendum esse putavit. Novissima pensio quæ a Cicerone debebatur erat HS. cccc[7]. Si tres erant, ut sæpe fiebat, Publilia dotem HS. xii centies habuerat[8]. De ista pensione HS. cccc, cc præsentia solvit, reliqua rescripsit et ab Attico petivit ut tempus a Publilio obtineret, quum jam ipse a jure suo decessis-

1. Plut., *Cic.*, 41; erat, ut dicit, « σφόδρα πλουσία ».
2. Dio, XLVI, 18.
3. *Ad Att.*, XII, 5, 4.
4. His nuptiis, ut credo, locus quidam epistolæ ad Cn. Plancium alludit (*ad fam.*, IV, 14, 3).
5. Plut., *loc. cit.*
6. *Ad Att.*, XVI, 1, 5.
7. 80,000 fr.
8. 240,000 fr.

set, tanta soluta numerata pecunia. Satis molestam habuit hanc pecuniam restituendam. Publilius iniquo animo pensionis moram ferebat et urgebat, quod Cicero reprehendebat, quippe qui ipse jure non uteretur. Volebat tamen ei plane satisfieri. Nescimus quomodo et quando hoc nomine Cicero liberatus sit[1].

Non igitur ex patrimonio aut ex dotibus uxorum, etsi e Terentiæ bonis multum fructum accepit, Ciceroni facultas fuisset villas emendi et sumptus faciendi quos diximus. Quærendum est igitur quibus artibus rem suam auxerit.

II

De artificiis et quæstibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, ipse disseruit. Improbantur quæstus portitorum et fœneratorum, mercenariorum omnium, « quorum operæ, non quorum artes emuntur ». Sordidi « qui mercantur a mercatoribus quod statim vendant »; sordidi omnes opifices, præsertim artium quæ sunt ministræ voluptatum. Iis omnibus certe non usus est. Artes liberales, ut medicinam, architecturam, doctrinam rerum honestarum, probat ut honestas, non vero coluit. Agriculturam valde laudat : ex prædiis scimus eum fructum cepisse, non sic vero rem constituisse. Mercaturam tenuem sordidam esse dicit; magnam vero et copiosam, sane bonam : sed neutra uti eum licebat[2].

Dicit enim alicubi[3] esse tres vias ad rem honeste augendam : « Mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis. » Iis vero qui magistratus adipisci et senatorium cursum honorum persequi cupiebant, nec negotiari, nec esse in operis societatis, ne vectigalia quidem conducere licebat. Primo genere lucrum faciendi, consensu omnium, Cicero non usus est. Non magis eum magistrum societatis unquam fuisse videmus. Non vero tam bene constat eum non partes in publicanorum societatibus habuisse; de hoc itaque paulum disserere oportet.

1. *Ad Att.*, XVI, 2, 1; 3, 5; 6, 3.
2. *De officiis*, I, 42.
3. *Parad.*, VI, 2, 46.

Constat in manibus publicanorum fuisse omnia magna nummaria et pecuniaria reipublicæ negotia. A censoribus vectigalia, decumas, scripturas, portoria et alia conducebant. Magna opera publica ex iis quoque pendebant. Societates eorum mancipiis, magistris, prædibus, munitæ erant. Earum socii partes habebant et lucrum inter se dividebant. Nulli sènatori harum societatum participem esse licebat. Quarum vero quum socii simul persæpe argentarii essent, nummos numeratos apud eos deponere licebat. Itaque, si quos amabant, non difficile forte erat, dum pecuniam deponere videntur, eorum rationum in secreto participes fieri, quum id leges non sinerent. Constat multos sibi ita immensas divitias comparavisse.

Quidam scriptores dixerunt Ciceronem, spretis legibus, non modo pecuniam apud eos deposuisse, quod licebat, verum partes apud eos sumpsisse ; sic nummos obtinuisse quibus ipsi opus erat ad tantos sumptus faciendos.

Primo adspectu mirum videtur Ciceronem, religiosissimum et prudentissimum hominem, quum tam diligenter contra suos inimicos se defendere deberet et præsertim quum cupidi animi non esset, hoc genere lucri usum esse, quod certe facile ab inimicis objiciendum foret, notis ejus cum publicanis junctis consuetudinibus. Itaque quibus argumentis hoc crimen ei illatum nitatur, perspiciendum est.

Quorum duo sunt genera, ut videtur : 1° aliqua loca ipsius scriptorum prætenduntur ; 2° dictitatur ejus necessitas cum publicanis et cum omni equestri ordine habita.

E nullo scriptorum Ciceronis loco affirmare licet, ut mihi videtur, eum habuisse partes in societatibus publicanorum. Si enim quæ commentatores de hoc collegerunt inspicimus, plane constat eos erravisse. Habebimus ut exemplum librum Deloume : *Les manieurs d'argent*, inscriptum[1].

Deductio hujus tribus generibus argumentorum in summa constat. Primo Ciceronis rem et impensas quam maxime amplificat. Pretium et numerum domorum auget : nescimus ubi alteram illam domum Ciceronis Romæ detexerit quæ, « 400,000 francs » constaret :

1. P. 60 sq.

hujus numeri causa forsan esset, ut opinor, domus ad quam iterum ædificandam Cicero HS. xx centies accepit : quæ vero est domus Crassi in Palatio. Addit idem Ciceronem Milonem pauperiorem quam ut ludos ederet putavisse, et ex eo eum perdivitem fuisse judicat. Divitior forte Milone erat, quem ære alieno obrutum esse patet. Epulæ tributim datæ non sumptuosæ erant, ut in ejusdem libro dicitur. HS. vi centies quæ numerata dicitur habuisse, quum de hortis Tulliæ sermo erat, verisimiliter vi legenda sunt. Non immensos nummos ad triumphum coegit; nam hac pecunia nomen Cæsaris vix solvere potuit HS. viii centies. Nec triumphatum est. Non compertum est Marcum tam multum debuisse. Sunt apud Deloume quædam impensæ fictæ. In epistola quadam[1] credit commentator peculiarem Ciceronis impensam dici, dum de basilica Julia, Cæsaris pecunia ædificanda, tractatur; in quo opere Cicero nihil nisi Cæsaris procurator fuit : sic existimat ille Ciceronem paucorum mensium intervallo plura centies HS contraxisse ; quod sine publicanorum partibus non potuisset. Ad verum autem redactas impensas multo minores invenimus.

Ad dictum suum probandum Deloume etiam aliqua loca scriptorum Ciceronis peculiariter interpretatur. Non sunt multa; qui hæc mente non præoccupata legerit non sic intelliget. Sunt enim in summa tria. 1° Dum « publicis sumendis » scribit, non vectigalium conductionem modo velit dicere, verum etiam plura genera operum publicanorum. Quod fieri potest : non est certum, quum verisimile videatur sic « operis dandis » esse explicandum, non « labore », ut dicit Deloume. Non vero hoc nobis interest. 2° In foro ubi plurimum Cicero vixit monemur publicanos quoque sua negotia egisse : quod est verum; nihil vero ex eo concludi potest, nisi manifesta amplificatione. 3° Refert hoc ad Atticum : « Nunc ita nos gerimus ut in dies singulos et studia in nos hominum et opes nostræ augeantur[2]. » Nullo modo ibi *opes* ut *divitiæ* intelligi possunt. Functum consulatu oportebat Ciceronem sibi gratiam populi conciliare ut contra inimicos defenderetur. *Opes* ut *fama* aut *bonum nomen* expli-

1. *Ad Att.*, IV, 16, 8.
2. *Ad Att.*, II, 22, 3.

cari debent. Quod ex verbis quæ sequuntur manifestum est. Nihil igitur ex omnibus illis affirmari potest.

Aliquæ pecuniæ tandem prætenduntur quas Ciceroni contigisse videmus : quarum quum fons nobis ignotus sit, ex operis publicanorum sumi deberent. Non multis morabimur : exempla enim quæ dicuntur parum firma sunt ad probandum. HS. dccc et HS. dcccxx, quæ ex quibusdam locis epistolarum dicuntur ei debita fore, non est dubium eamdem pecuniam esse, in secundo loco fœnoribus additis, non Ciceroni debitam, verum ab ipso Cæsari [2]. Nummos denique qui ex *ep. ad. Att.*, xii, 1, 2 dicuntur compertum est, ut infra ostendemus, esse eosdem quos in Cilicia contraxerat.

Ex omnibus illis nihil igitur, ut mihi videtur, affirmandum est de pecuniariis rationibus Ciceronis et publicanorum. Non multo magis, opinor, iis quæ generaliter ex consuetudinibus quibus cum publicanis conjunctus erat finguntur, confidere debemus. Dicitur ille, homo scilicet novus, paulum inter optimates alienus et invisus, quum omnes fautores suos in equestri ordine haberet, et in publica vita eis semper utilitati esset, accepisse ut remunerationem partem in eorum quæstibus.

Primo patronus ille equestris ordinis fuisse potest, nec idcirco pecuniam ab equitibus accepisse : immo, quum sane a venditi hominis fama abhorreret, quæ omnem auctoritatem suis orationibus detraxisset, licet credere eum, quo magis equitibus in republica faveret, eo magis integritatem suam servavisse ut maneret fides. Itaque, quia cum cum equitibus fuit, non affirmandum est eum ab iis pecuniam accepisse, nulla alia probatione facta. Non vero consuetudines illæ nimium verbis sunt augendæ. Certe equitum partes in summa vitæ publicæ servavit et in illis auxilium habuit. In scripto *de petitione consulatus*, scribit Quintus : « Equester ordo tuus est [3] ». Cicero ipse dicit sibi totum ordinem esse commendatissimum [4]. Vituperat Catonis severitatem in publicanos nimium

1. *Ad Att.*, V, 4, 3; 5, 2.
2. V. cap. V, § 1.
3. *De petit. consul.*, 33.
4. *Ad fam.*, XIII, 10, 2

acerbam[1]. Benevolentiam Quinto in eos præcipit et memorat « necessitudinem quæ est sibi cum publicanis[2] »; quæ non tamen adeo consulenda sit ut provinciales opprimantur. Difficile est nos credere hanc familiaritatem nihil momenti attulisse in ejus publica vita. Orationes pro Oppio, pro Cluentio, pro Rabirio, viris scilicet in quibus multa sunt suspiciosa, sane dictæ sunt, ordinis utilitatibus consultis, et forte non sine aliqua propria utilitate. Non tamen totus iis deditus erat. Si cum toto ordine consuetudo erat, non multis familiarissime utebatur. Egnatium alicubi memorat, quo, ut dicit « ego uno equite romano familiarissime utor, et qui, quum consuetudine quotidiana, tum officiis plurimis maximisque mihi conjunctus est[3] ». Hæc officia forsan ad pecuniam pertinerent; quo modo vero, nescimus. Dicit quoque se magnam necessitudinem habere cum sociis Bithyniæ[4].

Nobis pretiosissimus ad rationes ei cum publicanis habitas perspiciendas adspectus ejus proconsulatus in Cilicia est. Hic enim non verba solum, sed res habemus. Non facile erat, ut videtur, et bene cum iis vivere et simul provincialibus indulgere, quippe qui illorum avaritia sæpissime opprimerentur. Cicero vero honestissime proconsulatum gerere volebat. Utroque satis bene functus est.

Etenim studium in publicanos omnibus modis ostendit et sæpe liberaliter benevolentiam amicitiam et reverentiam professus est. Eos « habeo, ut scribit, in deliciis, obsequor, verbis laudo, orno[5]. » Erat ei cum Rupilio, magistro societatis scripturæ et præcipuis sociis summa necessitudo[6]. Itaque, quum pactiones cum civitatibus conficere vellent, benevolentiam collegarum flagitavit. P. Silio Nervæ P. Terentium Hisponem promagistrum scripturæ in Asia; Crassipedi Pupium, qui in operis societatis Bithyniæ erat, commendat[7]. Nomina curat quæ ab iis exigenda erant, seu ipsis, seu

1. *De officiis*, III, 22.
2. *Ad Quint.*, I, 1, 35.
3. *Ad fam.*, XIII, 43, 1.
4. *Ad fam.*, XII, 9, 3.
5. *Ad Att.*, VI, 1, 16.
6. *Ad fam.*, XIII, 9, 2; 65.
7. *Ad fam.*, XIII, 65; 9, 3.

civibus debebantur. Sic Thermo proprætori Cluvium Puteolanum commendat[1].

Hæc omnia extra ejus provinciam sunt, nec magis quam verbis conficiuntur. Quum de ipsius provincia agitur, nihil tale invenimus. Dicit : « Efficio ne cui molesti sint[2] ». Idcirco potestatem lædendi iis rapit. Creditores, ut nomina sua recuperarent, sæpe præfecti fiebant et sic ea per vim exigebant. Cicero decrevit nullum publicanum esse habiturum præfecturam qui in ejus provincia negotiaretur : « Meministi, ut scribit ad Atticum, nos sic agere ut quot vellet præfecturas sumeret dum ne negotiatori[3]. »

E nullo loco nobis affirmare licet peculiaria beneficia illis Ciceronem tribuisse. Cælius ab eo petivit ut posset M. Feridius, eques romanus, immunes agros habere quos fructuarios habebant civitates[4]. Nescimus quid responderit.

Si bene igitur cum publicanis in proconsulatu vixit, non est quod iis, oppressis provincialibus, faveret, verum quia in iis quæ effecit ad provinciam tuendam et servandam ipsi ipsorum commodum inveniebant. Nam, dum civitatum res nummarias explicari et restitui vult, quod ipsis intererat, publicanis utilitati simul erat : nomina enim quæ illis a civitatibus debebantur facilius solvenda erant. Itaque poterat scribere : « Publicanis in oculis sumus » ; addebat : « Gratis, inquis, viris. Sensimus[5]. » Ex eo conjici potest eos seu donis seu officiis gratiam ei probavisse. Humanissime igitur iis usus est, nullo iniquo adhibito favore. Ne plura, nihil reprehendimus ex quo suspici possit eum aut partem in eorum negotiis habuisse, aut pecuniariis officiis vinctum fuisse illis.

Si nunc summam hujus litis repetere volumus, affirmandum est, ut mihi videtur : 1° non immensos sumptus posse prætendi ad opes peculiares ejus quærendas ; 2° nullo loco scriptorum compertum esse eum habuisse pecuniam in societatibus publicanorum positam ;

1. *Ad fam.*, XIII, 56.
2. *Ad Att.*, VI, 1, 16.
3. *Ad Att.*, VI 1, 4; cf. 3, 5 et 3, 6.
4. *Ad fam.*, VIII, 9, 4.
5. *Ad Att.*, VI, 2,5.

3° non repentinos quæstus inexplicabiles ei contigisse; 4° nihil ex necessitatibus quas cum ordine habuit nisi familiaritatem et mutua bona officia sine lucro posse concludi. Hos nonnunquam ut argentarios habuit, quum pecuniam apud eos deponeret. Addendum est etiam eum non sæpe magnum pondus argenti præsens habuisse : quod partes emere eum prohibuisset. Verisimile est, quum ordinis vir celeberrimus esset, et in republica iis non pravo favore, sed honesto consilio faveret, equites gratos fuisse et, occasione data, ei fuisse utilitati. Potest fieri ut ei adfuerint in ejus nummariis rationibus ; quomodo, dici non potest. In pecunia mutuanda, aut deponenda, verisimiliter, potius quam in lucro faciendo eum forsan adjuverint. Ut Cluvius, in testamento eum inscripserunt, forte aliquibus donis ornaverunt. Sed hæc conjicere nobis modo licet; ex quibus, si fuerunt, certe, exceptis hereditatibus, non multum lucrum hausit, sed, ad summum, nonnunquam aliquid utilitatis.

Non igitur tribus artibus, quibus, ut ipse dicit, lucrum facere licebat, Cicero sibi multam pecuniam comparavit. Erant verum aliæ viæ quibus ipsi qui artibus liberalibus et reipublicæ administrationi studebant uti non spernebant, etsi legibus et fama, aut partim, aut nullo modo licebat : id est propria arte exercenda, magistratibus gerendis, et denique via multum contempta, frequenter vero his temporibus usitata, bonis exsulum emendis.

III

Nostris temporibus talis homo qualis Cicero erat facile rem magnam e libris sibi compararet ; non alius quærendus esset fons ejus opum. Non vero ita tunc erat. Scriptores enim sua scripta librariis non vendebant, nec ex iis fructum sumere solebant. Ea familiaribus legenda commodabant, qui jubebant transcribi, quum ea servare cupiebant. Nihil scriptori nisi gloria redibat. Aliquid quæstus ex iis sumebant modo homines ut Atticus, qui servos ad transcribendum idoneos plures habebant quam ad proprium usum necessarii erant et libros ab iis transcriptos satis magno pretio vendebant. Scriptori nihil hoc intererat. Aliqui crediderunt Atticum

nonnunquam, familiaritatis causa qua cum Cicerone utebatur, eum participem fecisse quæstuum quos ex libris ejus vendendis sibi sumebat, et afferunt quod Cicero ad Atticum scripsit, orationi *pro Ligario* alludens : « Ligarianam præclare vendidisti [1]. » Non vero bene hunc locum interpretati sunt : hic enim *vendere* significat commendare, jactare, præconari [2] ; quæ vis verbi sit, si certiores etiam esse volumus, satis est legere quæ sequuntur in epistola : « Post hæc, scribit, quidquid scripsero tibi præconium deferam. » Verisimile est igitur eum nullam fere pecuniam scribendo consecutum esse.

Ut patronus sine dubio magis lucratus est [3]. Multæ causæ ab eo oratæ sunt, non solum ejus ætatis sed omnis ævi reipublicæ maximo oratore. Sic etiam aliis temporibus ingentissimos quæstus ingenio et orationibus fecisset. Tunc vero vigebat lex Cincia quæ omnes oratores qui pro reis dicerent aliquid pecuniæ aut donorum accipere vetabat [4]. Recentioribus temporibus non est amplius servata, etsi divus Augustus eam restituere tentavit [5]. Oratorum tamen illius æqualium fuerunt qui ex eloquentia magnos tulerint fructus. Verres in tres partes exuvias Siciliæ dividit, quarum una ad retribuendos defensores seposita erat, inter quos maximus Hortensius erat ; cujus avaritiam sine religione fuisse ex aliis etiam testimoniis patet [6]. Maximis mercedibus Clodium et Curionem olim auctos fuisse qui, Claudio imperatore, legem Cinciam vituperabant memorare solebant [7]. Philippus forte moderatior non fuit [8]. Apparet igitur non causidicos solum, verum etiam magnos oratores ex eloquentia magnum tulisse fructum.

Majore modestia, immo, mira verecundia, Ciceronem usum esse ex pluribus locis patet. Quum de commodis quæ ad dicendi facultatem pertinent disserit, admirationem audientium, spem indigen-

1. *Ad Att.*, XIII, 12, 2.
2. Cf. *Ad Quint.*, III, 1, 5.
3. V. Hild, *D. Junii Juvenalis satira septima*, 1890, p. 42 sq.
4. Tac., *Ann.*, XI, 5.
5. Dio, LIV, 18.
6. *Verr.*, I, 14, 40 ; Val. Max., IX, 4, 1.
7. Tac., *Ann.*, XI, 7 ; cf. Suet., *Cæs.*, 20.
8. *De orat.*, III, 54, 220.

tium, gratiam eorum qui defensi sunt, non lucrum, commemorat: orator bonus, ut ipse repert, gratuito defendere debet[1]. Quod si ipsius testimonio parum confidamus[2], fratri ejus magis credetur Quinto, qui bis affirmat eum semper gratuito dixisse, et præsertim Plutarcho, qui idem testatur[3]. Non sane, orata et judicata re, omnia dona recusabat, quum non maximi pretii essent: a Papirio Pæto libros quos illi Claudius reliquerat accepit Cicero, « quum per legem Cinciam eos capere liceret[4]. » Ibi vero dubito an sit jocus : nam et liberto Attici Cincio alluditur, nec ex altera parte est compertum Ciceronem unquam pro Papirio Pæto oravisse. Ex iis testimoniis verisimillimum igitur, ne dicam exploratissimum, est, pro orationibus ab iis quos defenderet eum pæne nihil accepisse nisi modica dona et gratiam.

Eo magis certe patet eum eloquentiam non vendidisse nec lucri causa contra conscientiam locutum esse, ut aliqui recentes scriptores etiam dicere non dubitant[5]. Facile est enim perspicere et simul revincere quæ ei objiciuntur. 1° Dicunt Ciceronem pecuniam accepisse, quum, prolatis omnibus Verris sceleribus, ut graviore pœna ille afflictaretur non petivisset. Non vero is cui Hortensium increpare licebat quod sphingem accepisset[6] simili fraude utebatur. Quod crimen falsum esse ipsa gratia Siciliensium monstrat ; quorum benevolentia eum frui noluisse Plutarchus nos monet[7]; quod multo facilius et honestius fuisset quam verba vendere, si ipsi opus nummorum fuisset ; 2° *invectiva Sallustiana* extenditur : « mercenarius patronus.., manus rapacissimæ..., gula immensa » vocatur Cicero ; reprehenditur quod vi et rapinis domos acquisivisset et ornavisset[8]. Huic scripto vero diffidere debemus ipsius inhumanitatis et incredibilis violentiæ causa, præsertim quum ei pæne nihil certum atque definitum objiciat : nam vel Cice-

1. *De offic.*, II, 9, 66.
2. Cf. *pro Murena*, 34.
3. *De petit. consul.*, 5 et 9; Plut., *Cic.*, 7.
4. *Ad Att.*, I, 20, 7.
5. Mommsen, *Hist. romaine*, gall. transl., t. VI, p. 349.
6. Plut., *Cic.*, 7.
7. Plut., *Cic.*, 8.
8. *Invect. Sallust.*, 2, 3.

ronis inimici acerrimi opus est, itaque parum credibile est ; vel potius forte exercitamentum rhetoricum in quo omnia quæ hominem ignominia notare possint congerantur : ita ut hujus nulla ratio a scriptore rerum habenda sit ; 3° Dionis Cassii historiæ duo loca pecuniam quam ex eloquentia tulisset attingunt. Cassium vero non semper plane vere præterita narrare et Ciceronem multum odisse primum meminisse licet. Locorum denique horum prius est oratio sane conficta Philisci ad Ciceronem [1] : Philiscus Ciceronem monet eum multa lingua et orationibus acquisivisse, quod ei non vito dat, verum memorat, ne opum interitu nimium Cicero mœreat, quum eas non a patre accepisset. Ibi sane Dio in præteritum suæ ætatis consuetudines transtulit. Deinde in oratione Fufii Caleni de avaritia, de fallaciis et dolis quibus rem auxisset et ad se reos et pecuniam allexisset multa Ciceroni objiciuntur [2]; non vero illa pro legitima habenda est : et quum ut ab amico Antonii dicta referatur, credibile est Dionem in ea omnia sine lectione aggregavisse, quæ Ciceroni ut omni homini publico objecta essent [3].

4° Quod Gellius de Cicerone refert magis observandum est : « Quum emere vellet in Palatio domum, et pecuniam in præsens non haberet, a P. Sylla, qui tum reus erat, mutua sestertium viciens tacite accepit. Ea res tamen priusquam emeret prodita est et in vulgus exivit objectumque ei est quod pecuniam domus emendæ causa a reo accepisset. Tum Cicero, inopinata opprobratione permotus, accepisse se negavit, ac domum quoque se empturum negavit, atque : « Adeo, inquit, verum sit accepisse me pecuniam, si domum emero ; » sed quum postea emisset et hoc mendacium in senatu ei ab amicis objiceretur, risit satis atque inter ridendum : « Ἀκοινόνοητοι, inquit, homines estis, quum ignoratis prudentis et cauti patrisfamilias esse quod emere velit empturum sese negare propter competitores emptionis [4]. » Potest primum totam rem fingi et ex quadam lectione ant συγγραφή jocorum trahi,

1. Dio, XXXVIII, 20.
2. V. præsertim Dio, XLVI, 6; 7; 8.
3. V. Egger, *Examen critique des historiens anciens... d'Auguste*, 1844, p. 292; Dio, édit. Gros, t. I, p. xx sq
4. Gell., XII, 12, 2.

quod frequens apud Gellium est. Ut veram tamen eam accipiemus : pateat igitur Ciceronem a reo pecuniam mutuam sumpsisse : de quo nihil excusabat, dum mendacio suo modo alludit. Notandum est tamen Ciceronem tunc gloria oneratum fuisse, optimum nomen in urbe æstimatum, et facile nummos undique invenire potuisse sine usura; itaque credam libenter eum, quum eodem tempore urbi salutem attulisset, omnem suspicionem despexisse, et putavisse, qualiscumque is esset a quo pecuniam acciperet, se non fore reprehendendum. Non, ut opinor, avaritiæ causa et contra conscientiam Cicero Syllam defendit; nam, post necem Catilinæ et conjuratorum, sane arbitrabatur opus esse otii et concordiæ, et memoriam horum tumultuum quantum fieri posset esse delendam. Quum in Sylla, qui in quadam conjuratione olim fuerat, minus culpæ quam in Autronio, ejus comite, esse videret, non dubitavit eum defendere : præsertim, quum Torquatus, illius accusator, ipsum Ciceronem non sine vehementia offenderet. Oratio Ciceronis nullo modo venditi hominis, sinceri vero et liberalis, esse videtur : ut credo, quum vidit se a Torquato reprehendi et Syllam simul parum esse noxium sensit, eum defendere voluit; quum eodem tempore pecuniam desideraret, ab eo eam accepit mutuam quia putabat neminem aliquid de defensore urbis ausurum esse suspicari. Nihil igitur sceleris, sed potius aliquid imprudentiæ fuisse in eo constat.

Itaque, quum non modo ex verbis Ciceronis, verum etiam ex Quinti et Plutarchi scriptis eum gratuito dixisse referatur, quum qui contrarium dixerunt aut fide parum digni aut recentiores sint, quum eum indolis non cupidæ, immo paulum timidæ et valde honestæ, fuisse satis constet, et in omni vita non pecuniam sed gloriam et famam cupivisse, concludere nobis licet : 1° falsum esse pecuniæ causa unquam Ciceronem eloquentiam vendidisse; 2° eum semper gratuito dixisse. Non sane semper aliquid blanditii, ut libros aut talia, e reis accipere negavit : non hæc magna erant, quibus certe multo minorem tulit fructum, quam alii oratores ejusdem temporis, ut Clodius et Hortensius, solebant. Addendum est tamen multorum gratiam sane eum orationibus esse consecutum; et, dijudicatis causis, temporis lapso intervallo quodam, verisimile

est aut donis eum ornando aut in testamentis inscribendo multos defensorem et patronum remuneratos esse, salva lege Cincia. De illis gratuitis donis amplius infra dicemus.

IV

Ex publicis honoribus et in magistratibus gerendis nullum fere quæstum sibi Cicero paravit. Constat apud omnes omnia publica munera gratuita fuisse et per se ipsa nullum fructum iis a quibus suscipiebantur attulisse. Multi tamen ex iis lucrum faciebant : non magnum sane ex urbanis magistratibus et e sumptu sibi a senatu decreto; functi vero illis urbanis honoribus, ut propraetores et proconsules, ex provinciis, sibi omnino subjectis, immensas divitias hauriebant ad nomina sua solvenda et ad rem sumptibus candidaturæ corruptam reparandam. Inter omnes homines hujus temporis, Ciceronem integerrimum fuisse compertum est ; qui sane vitam ad hanc sententiam in libro *de officiis* inscripto expressam direxit : « Caput est in omni procuratione negotii et muneris publici ut avaritiæ pellatur etiam minima suspicio[1] ».

Quantum enim nobis notum est, honores quibus functus est inspicientibus, nullum videtur fructum illegitimum exegisse.

Quæsturam honestissime gessit. Oportebat certe eum certum habere neminem futurum esse qui denegaret, quum, in Verrem habita oratione, gloriaretur se ita curavisse hoc munus et Siciliam provinciam, « ut omnes oculos in se unum conjectos esse arbitreretur, ut se quæsturamque suam, quasi in aliquo terrarum orbis theatro versari existimaret[2]. » Quam modestiam hoc confirmat quod Sicilienses ejus memoriam gratam retinuerunt ut defensorem eum peterent et deinde ei dona, quum ædilitatem gereret, mitterent. In eadem modestia tunc perstitit: iis enim, si Plutarcho fides habenda est, nihilo usus est nisi ad pretium cibariorum minuendum[3]. In consulatu summis rebus consuluit; decrevit vero sibi

1. *De officiis*, II, 21.
2. *Verr.*, II, 5, 14.
3. Plut., *Cic.*, 8; cf. *pro Planc.*, 26.

deliberatum et constitutum esse ita gerere consulatum « ut neque provinciam, neque ornamentum aliquod, aut commodum, neque ullam rem quæ a tribuno plebis impediri possit appetiturus sit [1] ». Sane ex eo nullum ad rem augendam fructum sumpsit, nisi quod inde bonum nomen in urbe existimatus est et ideo domum Crassi ære alieno sibi comparare potuit.

Consulatu functus, Macedoniam provinciam, quæ sibi decreta erat, Antonio collegæ [2]; deinde Galliam senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam, quam pro ea acceperat, Metello, quæstibus ingentibus dimissis [3], concessit. Rumor fuit deinde Romæ, auctore seu Antonio qui Ciceronem parum amabat, seu ejus liberto aliquo, pecuniarum, quæ ibi ab Antonio cogerentur, partem Ciceroni quæri et ab illo ut custodem communis quæstus libertum esse missum. Hoc crimine non parum commotus, ad Atticum scripsit ut illud investigaret [4]. Quod si certe falsum, non tamen omnino inane erat. Nam, si Τεῦκρις quæ in eadem epistola dicitur Antonium, ut videtur, significat, aut hujus amicam, nobis credere licet pecuniam Ciceronem ab Antonio petivisse. Ille sane non audebat eam deprecari, de quo Cicero bene meritus esset; nec omnino falso dicebat Ciceronem hujus cogendæ pecuniæ aliquam partem habere, quum ex ea illa quam mutuam sumpturus esset exprimeretur. Non vero id ut sceleratum quoddam accipi potest.

In proconsulatu vero, quem in Cilicia gerere debuit, invito ipso, a. U. c. 703 (a. C. 51), mirabilissima modestia ejus in lumen prolata est. De hoc satis informari possumus.

Compertum est quantam pecuniæ vim proconsules e subjectis sibi provinciis extorquere solerent. Non Verrem solum exemplum habemus; sed et pæne optimus quisque provinciis utebatur ad sumptus magistratuum pensandos et ad solvenda sua debita, quum non ex iis totam rem comparabant. Contemni et opprimi provinciales consueverant; sub imperio unius hominis dediti,

1. *De lege agr.*, I, 8, 25.
2. *In Pis.*, 16; *ad Att.*, V, 20, 1 ; Plut., *Cic.*, 12; Dio, XXXVII, 33.
3. *Ad fam.*, V, 2, 3.
4. *Ad Att.*, I, 2, 2.

omnia fere ab eo pati cogebantur. Quum plurimi proconsules proconsulatu divites fierent, pauci, repetundarum postulati, damnati sunt. Si multi Ciceronis modestiam imitati essent, minus provinciales reipublicæ ruina gavisi essent.

Invitus Cicero provinciam accepit. Sed non amplius anno uno ibi manere jam proficiscens deliberatum habebat; non minus, summa abstinentia proconsulatum gerere. De hoc jam Kal. Quinct. a. U. c. 703 (a. C. 51) ad Atticum scribebat[1], et in fere omnibus epistolis modestia sua gloriatus est; non vero sine causa; nam moderatum non verbis solum, sed re ipsa, eum fuisse compertum est. Quod monstrari potest, breviter aliquibus quæ in proconsulatu gessit expositis.

Lege Julia licebat ex provinciis cibaria et hospitia sumere ad proconsulem, comitatum ejus, et exercitum sustentandum. Nullo modo his fructibus usus est. Dum Ciliciam petit, Attico scribebat : « Adhuc sumptus, nec in me aut publice aut privatim, nec in quemquam comitum [sunt][2]. » Eamdem modestiam in provincia servavit : « Nullus fit sumptus in nos, scribit, neque in legatos, neque in quemquam : scito non modo nos fœnum aut quod lege Julia dari solet non accipere, sed ne ligna quidem nec præter quatuor lectos et tectum quemquam accipere quidquam, multis locis ne tectum quidem et in tabernaculo manere plerumque[3] ». Exemplum imperatoris sane apud comitatum plurimum auctoritatis habuit. Illa modestia pæne inaudita non parvum solatium provinciæ fuit : quantum his sumptibus provinciæ laborare solerent intelligi potest ex eo quod Cyprii talenta attica cc dederunt, ne in hiberna milites reciperent[4].

Noluit magno sumptu belluas feras sibi contrahi et Romam mitti, ut gratiam populi consequeretur; non multum videtur curavisse pantheras ad Cælium mittendas[5]. Pariter statuas, fana, quadrigas et alia talia quæ prætori sæpe offerri solebant recusavit; vectigal

1. *Ad Att.*, V, 9, 1.
2. *Ad Att.*, V, 10, 2.
3. *Ad Att.*, V, 16, 3; cf. 20, 6.
4. *Ad Att.*, V, 21, 7; pæne 1.000.000 fr.
5. *Ad Att.*, VI, 1, 21; *ad fam.*, II, 11, 2.

prætorium, id est satis grande donum, civitatibus remisit ut sua nomina solverent[1]. Dona denique regis Cappadociæ accipere noluit[2].

Sumptibus qui ei ut omnibus proconsulibus necessarii erant, stipendio scilicet et cibario exercitus, sumptui ipsius et comitatus, sumptui ad iter faciendum et ad domum proconsulem ornandam, erant lege quæstus constituti : pars a quæstore urbano et ab aerario constabat; ad reliqua solvenda provinciam « senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam et ornatam[3] » proconsul accipiebat. Quæstor exercitus hanc pecuniam ministrabat. Piso a senatu HS. CLXXX centies accepit; Pompeius HS. CCXL[4]; nescimus quantum Cicero; forte medium inter duo. Provincia ipsa aliquæ opes debebantur, quarum majore parte præsertim Cicero non usus est, ut diximus. Præter illos communes reditus extraordinariæ quoque opes erant, ut præda, quum bellum gereretur. Quæ olim ærario debita ævo Ciceronis ab imperatore vendebatur et partim aut tota inter milites dividebatur. Habuit prædam, Pindenisso capto, Cicero circiter HS. CXX centies[5] : in his non mancipia sola verisimiliter, ut ex loco laudato intelligi posset, verum etiam omnis prædæ venditæ pretium dicitur. Potest etiam aliquid lucri proconsulibus ex permutatione pecuniæ a senatu decretæ ortum esse[6].

Habebat igitur sub manu magnas legitimas opes quibus uti ut volebat licebat. Nam quum quæstor hanc pecuniam ministraret, proconsul quo modo ea utendum esset sine arbitrio regebat; poterat igibur, non aperte legibus læsis, magnum fructum ex ea sibi conficere. Piso, ut exemplo utar, publicos nummos magno fœnori dederat. Non sic Cicero egit. Compertum est quantam pecuniam sibi e provincia comparaverit, « salvis legibus » : HS. XXII centies in cistophoris[7]. Hæc pecunia, quanquam nobis non parva videatur, non

1. *Ad Att.*, V, 21, 7 et 11.
2. *Ad Att.*, VI, 1, 3; Plut., *Cic.*, 36.
3. *In Pis.*, 2.
4. 3.600.000 fr. et 4.800.000 fr. *In Pis.*, 35, 86; Plut. *Cæs.*, 28.
5. 2.400.000 fr. Sic, ut opinor, *ep. ad Att.*, V, 20, 5, legendum est.
6. *Ad fam.*, II, 17, 4 et 7; III, 5, 4.
7. 440.000 fr. *Ad fam.*, V, 20, 9; *ad Att.*, XI, 1, 2. Cistophorus Asiaticus

pro magna habenda est, compertis consuetudinibus hujus temporis. Quæri potest quibus viis collata sit. Vidimus eum provincialia et regalia dona rejecisse. Pecunia publica cum summa abstinentia usus est. Quum provincia discessit, Cælio quæstori satis reliquit ad anni sumptus et in ærarium HS. M[1] retulit. Non multos proconsules sic agere consuevisse ex eo etiam patet, quod cohors et comitatus ejus maxime ingemuerunt, quum putarent ipsis esse omne hoc bonum distribuendum, ut manifeste mos erat. Exemplum tamen Ciceronis omnes mirati sunt et ejus modestiam imitati[2].

Ex extraordinariis quæstibus igitur hanc pecuniam sane sibi comparavit; erat, ut opinor, pro majore parte quod prædæ ei ut imperatori debebatur. Ex nonnullis epistolarum locis[3] patet non jam viguisse veteres consuetudines, non amplius negotiatoribius vendi prædam nec ad largitionem faciendam exspectandum esse senatus decretum; ipsum partem prædæ militibus dividisse et vendidisse reliquam; partem ei lege constitutam esse, quam sane apud publicanos Ephesi detulit. Qua, ut infra monstrabimus, non fruitus est; illius vero quæ populo attributa erat noluit aliquid cuiquam commodari.

Confecto imperii anno, proficisci Cicero properavit. Ut invitus Roma discesserat, ita nihil magis eum quam per alterum annum magistratum servare timuisse ex epistolis ad Atticum patet : hic etiam quantum pecuniarios quæstus sperneret deprehendimus.

Antequam proficisceretur, erant ejus rationes conficiendæ : quæ sæpe erant apud plurimos proconsules parum exactæ et negligenter paratæ. Ut lege Julia præscribebatur, accurate a Cicerone sunt factæ : non ab ipso, sed a questore Mescinio Rufo cum fratre ejus Minducio et scriba Ciceronis L. Tullio. Confectis rationibus, exem-

argenteus nummus erat; cujus pondus est gallice inter 12 gr. 64 et 12 gr. 40. Permutabatur tribus romanis denariis; quorum pondus 3 gr. 90 erat. Sic 12 gr. 64 argenti pro 11 gr. 70 obtinebantur. Supersunt cistophori cum nota *M. Cicero proconsul* et *M. Tullius imperator* (Mommsen, *Hist. de la monnaie romaine*, gall. transl., t, I, p. 63 sq ; Lenormant, *La monnaie dans l'antiquité*, t. II, p. 285).

1. 200.000 fr. *Ad Att.*, VII, 1, 7.
2. *Ad Att.*, VII, 3, 8.
3. *Ad Att.*, V, 20, 5 ; *ad fam.*, II, 17, 4.

plaria duo, alterum Laodiceæ, alterum Apameæ relicta sunt[1]; aliud etiam sane secum Romam portavit. Nihil difficultatis cum republica habuit; cum quæstore aliquam. Longa est Ciceronis epistola [2] ad eum, non vero explicatissima, quum sæpe negotiis breviter alludat de quibus quæstor antea scripsisset. In eo quod ad nos attinet, nihil vidimus illum arguere quod contra Ciceronis probitatem esset, aut in quo avaritia reprenhederetur. In satis impeditis rationibus quas cum Sestio, Lucceio, Valerio et Volusio habuit, nihilo videmus eum sibi consuluisse. HS. c, [3] quæ Rufi errati falso adscripta erant, verisimile est Ciceronem, quum pecuniam suam apud publicanos Ephesi esse putaret, dixisse se curaturum, ne hoc errore Rufus laboraret. Credidit Rufus Ciceronem esse sibi hanc pecuniam daturum; Cicero vero, qui interea pecunia sua orbatus erat, ut dicemus, hoc negavit, quum alias etiam impensas faciendas haberet, et paulum quæstoris avaritiam vituperavit. Nihil fraudis hic est.

Patet denique omnem fructum ejus imperii fuisse hæc HS. XXII centies quæ apud publicanos Ephesi deposuit. De iis pauca enarrare licet.

Mense Januario a. U. c. 705 (a. C. 49) Rufo scribebat Cicero « eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse [4] »; quæ mense Februario a. U. c. 706 (a. C. 49), ibi esse iterum videtur[5]. Nonnulli dixerunt non eamdem pecuniam in duobus locis epistolarum designari : quod vero non potest fieri : summa enim est eadem, locus idem, nummi iidem, minimum intervallum. Quomodo hæc nobis intelligenda videantur dicemus.

Constat a Pompeio Ciceronem non ferociter spoliatum esse, ut e verbo *abstulisse* intelligi posset. Non sine gemitu et ira Cicero id toleravisset. Accidit ut, quum Pompeius nummis careret et compe-risset Ciceroni Ephesi nummos esse et forte ad ipsum de iis scripsisset, Cicero non aliud facere potuerit quam eos, « sive æquo animo, sive iniquo », ei præ manu dare. Itaque eos perditos forte solum

1. *Ad fam.*, V, 20, 2; II, 17, 4.
2. *Ad fam.*, V, 20.
3. 20.000 fr.
4. *Ad fam.*, V, 20, 9
5. *Ad Att.*, XI, 1, 2.

in præsens putavit. Non sine molestia sane tulit suos nummos auferri. Quum Rufo Cicero scripsit, dum simul ei avaritiam objicit quod a se HS. c vehementer repeteret, voluit suam liberalitatem opponere. Itaque illos nummos non, ut erat, mutuos a Pompeio sumptos, verum ablatos esse dixit : sic ipsius liberalitas magis extollebatur.

A. U. c. 706 (a. C. 48), quum Pompeianas partes secutus erat, malignitate sane inimicorum et creditorum res ejus domesticæ in magnum periculum venerunt. Quod subito comperit; statim, perterritus homo et pro domo sua timens, ad Atticum scripsit et, omissa memoria præteriti, fidem suam tuendam et rapacitatem creditorum leniendam horum cistophorum permutatione esse indixit [1]. Paulo post, quum meminisset in potestatem Pompeii hos nummos cecidisse, de iis quæsivit et monitus est partem dimidiam a Pompeio exactam fuisse : quod ad Atticum statim scripsit et, ut ab illo excusaretur, dixit se putasse hanc pecuniam fore tutiorem ubi esset, id est, apud Pompeium, quam apud publicanos [2]. Hanc semper eamdem pecuniam vult dicere in epistola quadam, ubi scribit se magnam pecuniam mutuam Pompeio dedisse, et in alia, ubi, quum de ista pecunia Atticus quæreret et simul Quintus ingemeret quod nihil ipsi frater dedisset, respondit ille se omnem pecuniam Pompeio detulisse « et ne quidem aspexisse [3]. »

Horum HS. xxii centies igitur dimidia pars aut forte amplior cum Pompeianis partibus corrupta est. De altera quid evenerit nescimus : si sub Pompeii nomine inscripta fuerat, probabile est eam in Cæsaris manus venisse, quum Ephesum petivit; potest etiam conjici Ciceronem eam recuperare voluisse : ante adventum Cæsaris constat Philotimum Ephesi in quibusdam controversiis implicari [4]: quæ forsan nummos istos spectarent, adventu Cæsare exspectato, qui de iis dijudicaret. Si verum id conjicitur, eos verisimiliter Cicero recuperavit, aut forsan illud nomen a Cæsare acceptum de quo paulo post agitur [5] de hac pecunia intelligi possit. Hæc vero nihil

1. *Ad Att.*, XI, 1, 2.
2. *Ad Att.*. XI, 2, 3.
3. *Ad Att.*, XI, 3, 3 ; 13, 4.
4. *Ad Att.*, XI, 24, 4.
5. *Ad Att.*, XII, 3, 2,

nisi conjecturæ sunt, minime certæ. Verisimilius est omnem hanc pecuniam cum Pompeio esse perditam, Ciceroni vero nihil e fructibus proconsulatus servatum esse.

Publici honores igitur Ciceroni potius in summa sumptui quam quæstui fuisse videntur.

V

Non mirabimur sane eum minus honestis viis lucrum faciendi sese abstinuisse. Temporibus illis civilium discordiarum multi sibi divitias immensas acquisiverunt bona proscriptorum parvi emendo, quæ sub hasta venirent. Sic, ut exemplo utar, rem suam Chrysogonus constituit. Non vero iis artibus uti Cicero vel poterat, vel volebat. Id enim merito pro turpissimo habebatur: quum a debitore quodam sane proscripto pecuniam recuperare deberet, profitebatur se malle omnia perdere quam hoc genere lucri faciendi uti [1]. Non tamen omnino hujus artis negotiis abhorruit, quamquam iis non usus est. Videtur ei, ut diximus, quum hortos Scapulæ ad fanum Tulliæ exstruendum emere vellet et id non posset nisi ad auctionem venirent, in mentem venisse partem unius inter coheredes, Virgilii, emere, qui a Cæsare proscriptus erat: Attico parum probante, excusabat quod ille non bene cum ipso egisset. Proinde tamen nihil confectum est [2].

In negotio de bonis Milonis magis implicatus est, nec multum defuit quin ejus fama eo laboraret. Interfecto Clodio, Milonis exsulis bona in auctionem venerunt et « propter alieni æris magnitudem semuncia venierunt [3]. » Philotimus, Terentiæ libertus, in societate intraverat cum iis qui ea emebant. Brundisii, antequam navem ascenderet, in Ciliciam profecturus, Roma Cicero accepit epistolam Milonem « queri per litteras injuriam [4] ». Talia bona emere quum turpe cuilibet, tum Ciceroni multo magis videbatur, quippe qui defensor Milonis nuper fuisset: quod tam manifestum

1. *Ad Att.*, XII, 3, 2.
2. *Ad Att.*, XIII, 26, 1; XII, 51, 2; XIII, 33, 3.
3. Ascon., edit. Kiessling, p. 48.
4. *Ad Att.*, V, 8, 2.

est ut crederem libenter lucrum non fuisse præcipuam causam Ciceroni ad hoc faciendum. Itaque eis non diffidemus quæ ad Atticum scripsit, se hoc fecisse sententia C. Duronii, amicissimi Milonis et optimi viri, ne malus emptor alienus Milonem spoliaret mancipiis quæ tam multa habebat, ut de dote uxoris curaretur, atque ut quod servari posset ei servaretur. Addendum est tamen parvum fructum Ciceronem simul sibi cupivisse : quod legitimum forsan putaret, quum liceat credere Milonem ei pecuniam debuisse [1]. Verisimile est Philotimum sic ei ostendisse negotium, ut auxilium in amicum, sed reipsa parum honeste negotiatum esse, præcipue ad lucrum faciendum : de quo Milo querebatur. Permotus Cicero ad Atticum scripsit ut statueret « ut ex fide, fama, reque sua » videretur [2] ; et simul ad amicos Camillum, Lamiam et Cælium. Omnes sane judicaverunt fiducia ejus Philotimum esse abusum ; itaque rescissum est negotium, et Miloni bona verisimiliter restituta : sic interpretor quod Cælius Ciceroni scripsit : « Dedimus operam ut Philotimus quam honestissime Miloni absenti ejusque necessariis satisfaceret. [3] » Sic famæ Ciceronis consultum est. Fuit tamen aliquid quæstus Philotimo ex hoc negotio, cujus pars Ciceroni debebatur. Nullum vero fructum, ne minimum quidem, ex hoc negotio habuit ex quo tantam sollicitudinem sumpserat. Quum Philotimus ad Ciceronem in Ciliciam convenit, ei rationes parum exactas attulit : de quo ad Atticum ille græce querebatur, quum de isto negotio non libenter palam loqueretur. Patet ei minas XXIV [4] debitas esse, quas Philotimus solvere nolebat ; iratus, ut opinor, quod prohibitus esset fructum speratum capere et sentiret Ciceronem se non vehementer urgere esse ausurum, qui timeret nomen ipsius in hoc negotio despiciendum esse. Plane patet Ciceronem non aperte de hoc agi cupivisse ; nam patientiam et dulcedinem Attico commendabat, quum cum Philotimo tractaturus esset : quibus blandimentis certe abstinuisset si palam debitum expetere potuisset [5]. Summa igitur est hæc :

1. *Ad Att.*, V, 10, 4 ; VI, 5.
2. *Ad Att.*, V, 8, 3.
3. *Ad fam.*, VIII, 3, 2.
4. Circiter 2.000 fr.
5. *Ad Att.*, VI, 4, 3 ; 5, 2 ; 7, 1.

Cicero a Philotimo, uxoris liberto, Terentia forte hortante, in hoc negotium allectus est, speciosis et honestis causis præter aliquem legitimum fructum confictis. Re autem comperta, quæ non honesta haberetur, eam confici recusavit, et ne fructum quidem ex eo quod erat confectum fraude Philotimi habuit. Non igitur inhumanitatis et avaritiæ, ad summum levitatis et mollitiæ cujusdam accusari potest.

Non igitur magnum quæstum vel orationibus et scriptis, vel publicis muneribus, vel viis minus honestis Cicero fecit. Ut nobis videtur, ex aliis fructibus qui homini in urbe principi contingebant præcipuus fons ejus fortunarum deprehendendus est.

VI

Etsi Cicero e scriptis et orationibus et fama fructum præsentem non capiebat, tamen, quum iis in urbe nomen suum extolleretur, multorum gratiam sibi allexit. Itaque multorum officiis auctus est qui ei gratiam manifestam fecerunt, ut moribus licebat.

Per omnia discrimina in quibus versatus est ei fuerunt amici qui, non solum consiliis et voluntate, verum etiam opibus ei opitulati sunt. Exsilii tempore multi, ne dicam Atticum et Quintum fratrem, de quibus peculiaris sermo erit, omnes facultates et pecuniam sane sine versuram detulerunt : ut Laterensis, Plancus, P. Sextus, Cæcilius, Capito[1]. Aliorum multorum etiam subsidiis usus est: itaque, ut ipse scribebat, exhausta est in hoc discrimine benignitas amicorum[2]. Sæpe a multis sine versura pecuniam sumere potuit, cujus opus ei esset. Verisimile est etiam amicorum favore eum sæpe multa, ut permutationes, vectiones, hospitia et alia talia, aut faciliora aut gratuita habuisse.

Videmus, ut exemplum capiamus, eum in suis itineribus habuisse multorum domus peropportunas : sic hospitia quæ ipse præbuit ei amplissima reddita sunt. Familiaritate, gratia aut famæ celebritate, ei multi hospites erant in omnibus reipublicæ regionibus. Messanæ

1. *Pro Plancio*, 30 ; *orat. post redit.*, 8; 9; *ad fam.*, XIII, 29, 2.
2. *Ad Att.*, IV, 2, 7.

habebat « domum locupletissimam et amplissimam Cn. Pompeii Basilisci » et Parcennianam [1]. Quum e Cilicia redibat, « in Actio Corcyræ Alexio eum opipare muneratus est [2] ». Deversoriis et villis multorum amicorum ei uti licebat. Quæ Attici erant ut sua habebat. Videmus eum manere apud Titinium in Anagnino, apud Quintum fratrem in Laterio, apud Maculam in Falerno, apud Leptam in Petrino [3].

Non officiis modo, sed certe multis donis ab iis omnibus ornatus est. Verisimillimum est, quum multos vel opibus vel consilio vel orando adjuvisset, eos per omnes modos ejus benevolentiæ respondere cupivisse. Si proximis donis uti lege Cincia vetabatur, nullo modo prohiberi poterat post parvum intervallum gratiam defensori et patrono reddi. Multi sane, quos in urbe servaverat, proconsules aut prætores facti, omnia quæ jucunditati esse possent ei deferre cupiebant. Cum omnibus fere reipublicæ principibus habebat consuetudines junctas, et certe fructibus eorum gratiæ fruebatur. Atticum sæpe ei libros et verisimiliter signa aut talia dedisse constat [4]; Quintus frater, quum in Gallia erat, ei mancipia misit [5]; a Papirio Pæto libros accepit.

Non a civibus romanis modo, verum ex civitatibus et provinciis dona sane ampliora nactus est. Ei erant ibi multi homines et civitates, ut clientes, dediti, quorum donis non carebat : benevolentia illius Ciceronis pretiosior erat quam ut aliquid negligeretur ad eam servandam. Siciliæ defensor et patronus erat; Capua eum statua inaurata donavit et patronum adscivit [6]. Nobis credere licet urbes quarum partes tam vehementer amplexus est et quarum commoda amicis commendavit non honore modo, sed etiam muneribus gratiam suam probavisse : Volaterras, Atellam, Lacedæmonem, Paphum, exempla ponere licet [7].

1. *Verr.*, II, 4, 11.
2. *Ad Att.*, VII, 2, 3.
3. *Ad Quint.*, II, 5, 4; *ad fam.*, VI., 19, 1.
4. *Ad Att.*, II, 4, 1.
5. *Ad Quint.*, III, 9, 4.
6. *In Pis.*, 11, 25.
7. *Ad Att.*, I, 19, 4; *ad fam.*, XIII, 4; *de leg. agr.*, II, 31, 86; *ad fam.*, XIII, 28 b; *Phil.*, II, 15, 39.

A regibus externis qui cum republica consuetudines junctas habebant et principum civium urbis benignitatem capessere solebant, manifestum est eum multis muneribus donatum esse. Vidimus eum, quum in Cilicia proconsulatum gereret, omnia illa dona abnuisse. Aliis temporibus minus religiosus erat : munera non modo accipiebat, sed etiam flagitabat : Cleopatrem oderat, quia ab ea non accepisset aliquid (tabulas, aut signa, aut talia) quod petierat [1]. Rex Dejotarus hospitium cum eo fecisse gaudebat; quem regem, scilicet non divitissimum, ei sæpe munera misisse patet, quorum exiguitatem Cicero irridebat [2]. Ariobarzanes sane gratus erat, quem Cicero tantis beneficiis ornaverat [3].

Non possumus accurate æstimare ad quantum summa horum munerum venerit. Ut opinor, non amplificanda est nimium : non enim cuilibet beneficiis vinciri Cicero tolerasset : et certe largitiones denegavisset quæ ejus liberati offendere potuissent. Ex omnibus illis utilitatem cepit aliquam, non certe divitias acquisivit.

Non vero solum vivorum amicorum beneficiis, sed etiam, sæpius quidem, mortuorum Cicero ornatus est : multi sane gratiam ei solvere post mortem quam in vita maluerunt. Ex hereditalibus quas creverit, magna, ut mihi videtur, ratio iis qui ejus rem familiarem perspiciunt habenda est : quod genus lucri faciendi forsan præcipuus fons ejus fortunarum fuerit.

Mos erat Romæ ut qui testamentum facerent non solum filios et propinquos scriberent, non amicos solum, sed etiam homines quibus gratia aliqua deberetur, immo, cives aut fama aut dignitate magnos. Simul pietatis et sapientiæ id erat signum. Nam testamentum totum non fore infirmandum aut abolendum, id erat optima cautio. Cicero, ut amicus, ut patronus, ut qui denique de republica bene meritus esset, multa crevit, id est accepit. Præclarum erat in testamentis inscribi et, ut turpissimum habebatur per dolum hereditatem affectare aut testamentum supponere, ita non solum pecunia, sed dignitas augebatur iis qui sine fraude vel ambitu inscribebantur,

1. *Ad Att.*, XV, 15, 2.
2. *Ad Att.*, VI, 1, 3 et 4; *ad fam.*, IX, 12, 2.
3. *Ad fam.*, XV, 2, 4.

ut Attico, Lucullo, et ipsi Ciceroni [1]. Verisimile est eum multum sæpius hoc genus quæstuum post consulatum accepisse; nullum obsignatoris nomen præsertim ante consulatum anni habemus, quo videlicet posteriores pæne omnes ad Atticum epistolæ sunt. Licet existimare eum antea non multas nisi gratorum reorum hereditates crevisse.

Primus inter eos quos novimus, a. U. c. 695 (a. C. 59), Diodotus philosophus Ciceroni HS. c [2] reliquit; quæ hereditas sane non multum magis fuit quam aliquid compensationis : non enim nullo sumptui Ciceroni fuerat, qui eum per multos annos pæne omnino sustentaverat [3].

A. U. c. 698 (a. C. 56) verisimiliter cum Nostio Zoïlo liberto heres est viri ignoti [4].

A. U. c. 702 (a. C. 52) cum Clodio inimico in testamento Cyri architecti inscribitur [5].

A. U. c. 703 (a. C. 51) ad M. Marium epistola certe hereditati alludit cujus Cicero partem habuerat. Marius aliquid ex ea emere volebat, quod Ciceroni scripsit, dicto pretio quod dare cuperet : per jocum ille respondit : « Illicitatorem potius ponam quam illud minoris veniat »; nam sibi expedire venire illud bonum quam plurimo [6].

A. U. c. 704 (a. C. 50), quum in Cilicia Cicero proconsul erat, ei Preciana hereditas contigit : non magna, sane, quam « quantulamcumque » dicebat. Maximæ curæ tamen ei fuit. Non in una epistola Atticum vehementer petiit ut eam contra avaritiam Philotimi defenderet : addebat se Terentiæ et Philotimo scripsisse fore illos nummos ad apparatum sperati triumphi et ad Atticum redigendos esse [7]. Ad Terentiam etiam alia epistola superest : rogabat eam ut

1. *Philipp.*, II, 16; *de offic.*, III, 18; *parad.*, V, 2, 39; VI, 1, 43.
2. 20,000 fr. Sic certe in *ep. ad Att.*, II, 20, 6 legendum est.
3. *Acad.*, II, 36, 115; *Brut.*, 90, 309 : Diodotus « qui, quum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meæ mortuus. »
4. *Ad fam.*, XIII, 46.
5. *Pro Milone*, 18.
6. *Ad fam.*, VII, 2, 1.
7. *Ad Att.*, VI, 9, 2; VII, 1, 9.

de hoc curaret : si auctio ante reditum fieret, Attico et Camillo rem deferret; ne quid negligeretur [1].

A. U. c. 706 (a. C. 48) inopinata hereditate e magno discrimine levatus est. Imminente bello civili, Pompeianas partes secutus, res domesticas Romæ maxime impeditas reliquerat. Ut videtur, creditores nomina ejus appellabant, ab ejus inimicis etiam impulsi. Deficiente pecunia, Cicero etiam atque etiam Attici opem implorabat. Idcirco, eo ipso die quo hereditas illa significata est, eam crevit : non parvam, ut videtur, quum Atticus putaret ea fidem et famam amici esse tuendam [2].

A. U. c. 707 (a. C. 47), Galeonis cujusdam hereditatem crevit, solus heres, ut videtur [3].

Eodem anno, non in meliore statu rerum, inter Fufidianos heredes inscriptus est. Non vero sine labore hanc hereditatem occupavit. Nam in dividenda ea aliquid litis fuit : ex partibus una, quæ minor videbatur, licitatione, id est auctione inter heredes, expleri poterat : ceteri autem heredes nolebant, quum scilicet sperarent, ut Cicero putabat, negotio diu ducto, Ciceronem cum Pompeio perditum fore; ita se hereditatem totam sine eo participe habituros [4].

A. U. c. 709 (a. C. 45), duas hereditates crevit quarum altera haud parva erat. Priorem, Brinnianam, non valde pretiosam æstimabat [5], quum coheredes essent plures : Brinnii libertus, Sabinus, Albius, Vettius, forsan Labeo. Divisio, quæ per auctionem in Tusculano facienda esset, ut paulo proferretur, Cicero, qui Arpinati erat, petivit; noluit coheredes ad se Arpinatem venire, ut illi proponebant; fuit ut cupiebat. In illo negotio, ut consueverat, Attici auxilio usus est; a quo petebat ut caveret ne eo absente ipse malitia coheredum opprimeretur [6]. Habuit pro sua parte aliquem fundum quem

1. *Ad fam.*, XIV, 5, 2. Paulo ante forte eum minas XLVIII (circiter 4,000 fr.) ex Chersoneso hereditatem accepisse, in cap. III, § 5 dicemus.
2. *Ad Att.*, XI, 2, 1.
3. *Ad Att.*, XI, 12, 4.
4. *Ad Att.*, XI, 13, 3; 14, 3; 15, 4.
5. *Ad Att.*, XIII, 12, 4; 14, 1.
6. *Ad Att.*, XIII, 22, 4.

postea, Vestorii argentarii consilio, mancipio Hetereio cuidam dedit[1].

Cluviana hereditas earum quas novimus videtur fuisse maxima. Crediderunt aliqui, nullo modo vero constat, eamdem esse eam, quam Plutarchus drachmas CM centies fuisse dicit[2]. Ipse Cicero monet Atticum eam ad centum millia sestertium adventare[3]; cum multis Ciceronis commentatoribus, opinor fructum annuum istius hereditatis ibi significari : nisi enim hoc compertum sit, non esset unde intelligeretur quomodo Cicero, cujus res nullo modo eo tempore florebant, a ceteris heredibus partes emere potuisset, præsertim quum primo anno HS. LXXX detergere deberet ad tabernas ex quibus partim constabat reficiendas quæ corruissent[4]. Ea valde gavisus est : « Vehementer me Cluviana delectant », scribebat. Scimus cretionem fuisse sexaginta diebus; fuisse cum eo coheredes Offilium, Caesarem cui Balbus procurator erat, Hordeonium cum Terentia, uxore Ciceronis, Hortensium et alios[5]. Constabat ex multis numeratis nummis, e pondere argenti, et ex prædiis in Puteolis : quæ erant tabernæ quas inquilini habebant, et horti[6]. Patet Ciceronem fuisse principem heredem : quum haberet horum prædiorum majorem partem, ab Hortensio et a ceteris heredibus partes emit scilicet, partim argento quod tunc quoque acceperat, partim ære alieno. Hortensius impudenter cum eo egit qui, quum in tribus pensionibus pretium curandum esset, ante diem exposcebat tertiam, hujus tamen parte magna jam soluta[7].

Hæc sunt hereditates de quibus satis describere possumus. In quibusdam locis scriptorum aliis etiam alluditur, in quibus nescimus an quæstum ceperit, aut scimus eum nihil accepisse. In testamento Felicis, ex errore quodam, nihil fratribus contigit[8]. Videmus Ciceronem secundum heredem T. Pinnii institutum esse, hominis

1. *Ad Att.*, XIII, 50, 2.
2. Circiter, 72,000 fr. Plut., *Cic.*, 8.
3. 20,000 fr. *Ad Att.*, XIV, 10,3; 11, 2.
4. 16,000 fr. *Ad Att.*, XIV, 10, 3; 9, 1.
5. *Ad Att.*, XIII, 37, 4; 46, 3.
6. *Ad Att.*, XIII, 45, 3; XIV, 9, 1; 16, 1.
7. *Ad Att.*, XIII, 46, 3; XVI, 2, 1; 6, 3.
8. *Ad Quint.*, III, 9, 8.

sane divitis, quum ei Nicæsenses HS. octogies deberent[1]. Aliqui commentatores dixerunt, non vero plane constat, quod de testamento Curii scribit esse jocum[2] : in eo forsan Cicero heres ex quadrante inscriptus esset. Alexionis liberti testamentum epistola quædam, ut credo, leviter attingit[3]. Ira in Calvam et in ejus testamentum decepti hominis est[4].

Patet igitur multas hereditates Ciceroni venisse et magnæ utililati fuisse ; quarum plurimarum nomina ignoramus. Compertum est vero quæ fuerit summa : in oratione quadam, Antonio qui negabat ei hereditates venisse : « HS. ducenties acceptum hereditatibus retuli[5] », respondit. Numerum forsan auxisset, nam de illis gloriabatur : non multum tamen, ut videtur. In eodem loco jactat se omnia bona illa ab amicis accepisse; quod vero non plane constat, quum quondam ad Atticum scriberet se prohiberi historias sui temporis scribere, quia iis quorum testamenta crevisset indulgere deberet, quanquam eos omnes non amaret[6]. Aliquid amplificationis igitur in ejus verbis ad Antonium reperire licet. Ex illis hereditatibus, quas eum nunquam flagitavisse vidimus, magnum fructum tulit : erat fons sane repentinus et interquiescens, ex quo tamen in nonnullis discriminibus salutem habuit.

Tales præcipui quæstus Ciceronis fuisse videntur. Multum inter se differebant; nullo modo æstimare possumus ad quantum venirent, præsertim quum non regulam haberent. Patet tamen omnes fuisse legitimos et sine avaritia quæsitos. Itaque non immerito dicebat se « genere ipso pecuniæ beatissimum[7] ».

1. 160,000 fr. *Ad fam.*, XIII, 61.
2. *Ad Att.*, VII, 2, 3.
3. *Ad Att.*, XV, 2, 4,
4. *Ad Att.*, XV, 3, 2. Dubium est eum aliquid hereditatis Demonii accepisse (*Ad Att.*, XV, 3, 1.) De hereditate, quam Plutarchus significat, non plane enarrare possumus.
5. 4,000,000 fr. *Phil.*, II, 16.
6. *Ad Att.*, XIV, 14, 5.
7. *Ad Quint.*, I, 3, 6.

CAPUT III

DE PROCURATIONE REI PRIVATÆ CICERONIS

I. De Cicerone. — II. De Attiço. — III. De Terentia. — IV. De Quinto Cicerone. — V. De servis et libertis

Si bene gesta fuerit, res parva augetur; sin male, magna deletur. Quomodo ipse Cicero et ii qui hujus curæ participes erant opes istas gubernarent, etsi jam aliquid deprehendi potest, paulo magis disserere debemus.

I

De ejus indole, in eo quod ad rei familiaris et divitiarum curam attinet, non tacere debemus.

Si inimicis confideremus pseudo-Sallustio et Dioni Cassio, eum ut « gulam immensam », avarum, cupidum et rapacissimum hominem haberemus, omnibus modis lucrum consecutum. Quousque vero his confidere debeamus, jam ante diximus. Contra illa testimonia habemus Plutarchi sententiam, qui dicit eum semper contempsisse opes et ejus negligentiam in pecuniam miram fuisse sæculo quo minime solita esset[1]. Omnes veteres præter duos quos diximus ita censuerunt, et merito ut videtur.

Non sane plane exacta nobis habenda sunt quæ nonnunquam de divitiis dicit. Nam philosophum verbis eas spernere necesse erat etiamsi non re : existimandum est eum nonnunquam magis declamationi quam conscientiæ consuluisse[2]; nec tam bonorum incuriosus erat quam in oratione *pro domo sua*, ut exemplum usurpem,

1. *Parall. vit. Cic. et Demosth.*, 3.
2. Cf. *parad.*, I et VI.

dicebat. Sed ex multis factis, non verbis, quorum partem jam diximus, indoles ejus nobis satis manifesta videtur.

Amabat divitias et elegantiam, non ut avarus, sed ut liberalis homo, qui de iis delicate frueretur et simul amici. Multa exempla liberalitatis ejus ponemus. Ut illis sumptibus par res privata maneret, opus fuisset summæ curæ et diligentiæ in ea regenda. Non vero talis erat Ciceronis mens. Sæpissime in litteris videmus eum pœnitere negligentiæ et summam diligentiam pollicere in futurum. Non tamen apparet eum unquam plane promisso stetisse : facilem cum debitoribus, cum creditoribus liberalem eum semper fuisse videmus, ab omnibus domesticis et externis sæpe spoliatum. Etenim non accuratæ erant ejus rationes. Spoponderat pro amicis; quod non solum non scribebat, sed ne meminerat quidem postea[1]. Quum ejus sumptus repetemus, videbimus quanta liberalitate rem gerendam juberet. Liberalem et generosum igitur jam constat Ciceronem fuisse et parum ad lucra aptum, et ad divitias consumendas potius quam ad parandas et servandas idoneum, nullo modo avarum et cupidum; ne plura, ut homines qui litteris et publicis rebus consulunt, ad rem propriam gerendam satis imperitum. Non libenter ipse de rebus nummariis statuebat; verebatur ne, absente Attico, aliqui coheredes in hereditate dividenda se opprimerent; sibi ipsi parum confidebat[2].

Non tamen ejus incuriam et negligentiam amplificare oportet, nec rem privatam ab eo omnino omissam putare, ut sæpius dictum est. Adolescentium Luculli, Catonis, puerorum Triarii, Publiliæ tutor erat[3]. Apud eum nonnulli pecuniam deponebant[4]. Multis amicis, Quinto, Attico ipsi, Piliæ auxilio erat ad negotia conficienda. Quæ sane non fuissent, si negligentis hominis famam habuisset. In bonis emendis aut vendendis non temere eum egisse vidimus, etiam quum emere maxime cupiebat aut pecunia egebat. Amore signorum non impediebatur quin vituperaret amicum qui ad sumptus lar-

1. *Ad Att.*, XII, 14, 2.
2. *Ad Att.*, XIII, 22, 4.
3. *Ad Att.*, XIII, 6, 1 ; XII, 28, 3; Plut., *Cic.*, 41.
4. *Ad Att.*, XV, 15, 1 ; 17, 1.

giores eum allexisset[1]. Pecuniam nullo modo spernebat: testamento Livia Dolabellam heredem suum fecerat, dummodo nomen mutaret : Cicero secum reputat an in deceat, et, quanquam hoc parum nobili adolescente dignum esse putat, profitetur tamen se de hoc magis esse sensurum quum pretium hereditatis notum erit[2].

Sunt rationes quas ipse inscripsit. Tullia mortua, testamentum fecit aut verisimilius mutavit[3]. Accurate et longe cum Attico sua negotia curat, et, quum tam impeditæ res ejus essent, non adeo mirandum est si non potuit semper eas mente complecti. Sunt quædam quæ ipse curat, etiam quum ei incommodum afferunt. Vidimus ipsum ire Arpinum ex proposito ad mercedes prædiorum constituendas[4]. Turpe ducebat patrimonium minui aut dissipari[5]. Si quidem in pecuniariis artibus non peritissimus erat, erant tamen inter ea quæ rei familiaris curam spectant multa in quibus versabatur; ut exemplis utar, omnia quæ villarum ædificationem et ornatum attingebant. Quum Quintus frater, Cæsaris legatus, in Gallia bellum gessit, ille Ciceroni transtulit curam domus Romæ iterum ædificandæ, et villarum prædiorumque perspiciendorum. Sunt plures epistolæ ubi Cicero, dum fratri de bonis ejus plura narrat, suam sententiam nobis tradit et ut satis peritum architectum et villicum se nobis ostendit.

Est epistola quædam ad Quintum[6], ubi de omnibus fere ejus domibus cum eo loquitur, et quid in iis struendum, mutandum, addentum, delendum, corrigendum, putet eum docet. Laudata villa Quinti quæ tunc ædificabatur, dicit sibi ipso curæ fore ut tectum sit concinnum. Cameras quæ displicebant ipse mutari jubet, et quo modo ei videatur Quinto describit : unde constat eum fuisse non imbecillum architectum. Ipse sane confitetur non tam bene novisse de agris et prædiis in eo quod ad culturam attinet, et quum de prædio, quod pro fratre emerat, non ipsius sed aliorum senten-

1. *Ad fam.*, VII, 23.
2. *Ad Att.*, VII, 8, 3.
3. *Ad Att.*, XII, 18, 4.
4. *Ad Att.*, XIII, 9, 2; 11, 1.
5. *De offic.*, II, 18.
6. *Ad Quint.*, III, 1.

tiam dicit in iis quæ terrarum habitus spectant, addit : « Quod melius intelligo, affirmo mirifica suavitate te villam habiturum ». De aquis, de statu viarum et quomodo struendæ sint illæ, non temere dicit. Villici et topiarii opera perspicit et laudat. Hæc de rebus rusticis. Urbanas ædificationes Quinti ipse sæpius etiam intervisit et suis facultatibus satis confidit ut Quintum omni cura de hoc liberatum putet. In hac epistola igitur vidimus eum hominem esse satis doctum in omnibus his laboribus. In summa, liberaliter vivere amabat, non prodigaliter, et, si sua negotia non accuratissime expediebat, non sane negligebat. In iis quæ domus et prædiorum ornamentum spectabant non erat imperitus; et, si in nummariis rebus minus versatus erat, ibi ut pretiosissimum adjumentum Atticum habebat.

II

Si Attico caruisset, certe res ejus minime floruisset et verisimiliter nominibus corrupta esset. Ille enim, ut ex una parte delicatus et ornatus et eruditissimus homo erat, et signa tabulasque pictas eligere et emere et libros ornare solebat, et in philosophia, in græca lingua et in omnibus litterarum studiis optime versatus, ex altera parte peritissimus negotiorum cujusque generis erat, consuetudines habebat cum omnibus argentariis, fœneratoribus, publicanis Urbis et provinciarum; ipse multas res nummarias tractabat et mirifice rem suam servabat et augebat per omnes artes etiam minus liberales, Itaque, ut ingenii et optimarum artium culturæ causa familiarissimus et jucundissimus Ciceroni erat, ita pecuniariarum et nummariarum rerum scientia princeps rector curatorque ejus rei privatæ fuit [1].

In epistolis quas alter ad alterum misit, ex vetustissimis usque ad recentissimas, dum magna publice geruntur, innumerabiles nummariæ res aguntur; adeo ut hujus nostri scripti præcipuus fons sine dubio sint. Non multa, Attico inconsulto, egit Cicero. Addendum est eum fiduciæ non pœnituisse. In omnibus vitæ suæ

1. Corn. Nepos, *vita Attici*, 15.

discriminibus eum habuit adjutorem. Quum Romam relinquere coactus est, ab eo pecuniam accepit mutuam HS. CCL[1]. Post reditum, vix Romæ erat quum scribebat : « In re familiari, quæ quemadmodum fracta, dissipata, direpta sit, non ignoras, valde laboramus tuarumque non tam facultatum, quas ego nostras esse judico, quam consiliorum, ad colligendas et constituendas reliquias nostras indigemus[2]. » Nec consilia defuerunt, nec facultates, quum earum iterum opus fuit. Quum in Ciliciam profectus est, ab eo pecuniam mutuatus est[3]. Aliquid suspicatus de Philotimo, ad Atticum suam pecuniam conferri jussit[4]. Quum, imminente bello civili, pæne res ejus omnis omnino corrupta est, ad eum semper confugit : « Omnem spem habeo existimationis privatarumque rerum in tua erga me mihi perspectissima benevolentia[5] », scribebat. In eo discrimine etiam maxime Ciceroni Atticus opitulatus est; quo auctore res ejus paulum restituta est[6]. Omnia ad eum deferebat, quum cum fœneratoribus, creditoribus aut debitoribus tractandum erat. Omnes faciliores cum Attico erant, homine scilicet negotiatore et in hoc genere rerum peritissimo. Satisdabat pro Cicerone[7], spondebat[8], emebat, vendebat, mutuum sumebat, moras petebat a creditoribus, debitores assignabat; tabulas parum accuratas Erotis vel Philotimi excutiebat. Consueverat Cicero eum omnia cognoscere et conficere quæ ad rem attingerent. Ei non solum magis quam cuilibet sed etiam quam sibi ipsi confidebat : « Illud, scribit quondam, non accipio in bonam partem quod ad me refers [de aliquo nomine], qui si ipse negotium meum gererem, nihil gererem nisi consilio tuo[9]. » Permutatione adolescenti Marco, quum esset Athenis, annuum fructum mittebat; domos Ciceronis

1. 50,000 fr. Nepos, *vita Attici*, 4; majorem etiam pecuniam Atticus ei offerebat. (*Ad Att.*, III, 20, 2.)
2. *Ad Att.*, IV, 1, 3.
3. *Ad Att.*, V, 13, 2; 15, 2.
4. *Ad Att.*, VII, 3, 7.
5. *Ad Att.*, XI, 1, 1.
6. *Ad Att.*, XI, 1; 2; 4, etc.
7. *Ad Att.*, V, 1, 2.
8. *Ad Att.*, XII, 14, 2.
9. *Ad Att.*, XIII, 3, 1.

conducebat, dotes Tulliæ, Terentiæ, Publiliæ aut solvendas, aut recuperandas curabat. Nihil sine eo Cicero conficere audebat. Omnia ad eum veniebant. Atticus, sapiens et prudens homo, eum a sumptibus immoderatis deterrebat, fiduciam ejus nimium generosam cautiorem faciebat et defendebat eum, ne ab aliis opprimeretur et spoliaretur. Plane manifestum est eo auctore Ciceronis rem bis non omnino fractam esse : tempore exsilii et belli civilis. Non gratuito certe hæc omnia procurabat, et sæpissime a Cicerone quoque accipiebat officia; nec nimium augenda est ejus liberalitas et facilitas in amicum : familiaritatis qua cum illo viro celeberrimo conjungebatur fama, certe multum quoque ornabatur et augebatur. Attamen, etsi parum cordi nobis est homo, minuere ejus munera non oportet, ex quibus, sine dubio, summum et valde necessarium fructum Cicero tulit.

III

Non vero ab Attico uno in re ministranda adjutus est. Inter omnes qui cum illo hanc curam habuerunt et forte illi inviderunt, Terentiam numerare possumus [1].

Non solum enim marito dotem honestam præter alia bona attulit, verum etiam, ut videtur, de ejus fortunis satis laboravit. Dicit Plutarchus eam minus rei domesticæ Ciceronem participem fecisse, quam illum eam reipublicæ[2]. Videtur fuisse mulier strenua et perita, avida vero et ingenii difficilis. Per multos annos cum Philotimo, suo liberto, rem familiarem illa rexit sine discordiis. In exsilio patet Ciceronem maxime ei confidisse, et ad eam scriptæ sunt ab eo epistolæ lepidissimæ. Voluit vendere aliqua bona propria ut marito subveniret; quod ille negavit, ne nihil liberis superesset[3]. Hæc enim manserat Romæ ut aliquid rei familiaris servare posset ; confugere debuit apud sororem Vestalem Fabiam et multos angores et molestias summo animo et virtute tulit[4].

1. V. Antoine, *La famille de Cicéron; Terentia, sa femme*, in *Mémoires de l'Académie de Toulouse*, ann. 1890, p. 325 sq.
2. Plut., *Cic.*, 20.
3. *Ad fam.*, XIV, 2, 3; *ad Quint.*, I, 3, 3.
4. *Ad fam.*, XIV, 2, 2; *pro domo*, 23, 59; *pro Sestio*, 24, 54; *pro Milone*, 32, 87.

Ut videtur, statim post reditum Ciceronis, aliquid discordiæ eum ea oriri cœpit. In epistolis enim hæc scripta videmus : « In re familiari valde sumus, ut scis, perturbati. Præterea sunt quædam domestica quæ litteris non committo »; deinde Quinti pietatem et virtutem laudat [1] ; et paulo post, postquam curas præsentis temporis dixit, addit : « Cetera quæ me sollicitant μυστικώτερα sunt : amamur a fratre et a filia [2]. » Non sine consilio bis de Terentia tacet. Forte jam tum reperiebat apud eam aliquid hujus avaritiæ et negligentiæ propter quam postea cum ea contendit. Sane, eo absente, de tota re familiari curaverat ; forte non ita ut Ciceroni plane satisfieret.

Non statim tamen ad extremum discrimen venerunt, et satis bonæ iterum fuerunt per aliquod tempus inter eos consuetudines. Verisimile est, quum Philotimus Ciceronem in parum honestis negotiis implicavisset, deinde a sperata pecunia destituisset, Ciceronem damni hujus pro parte auctorem uxorem habuisse. Itaque ad Atticum magis quam unquam alias confugit [3] : ad eum redigi jubet nummos quos profundi non vult ; ei quarumdam impensarum Terentia rationem dare debet [4].

Initio belli civilis Terentiæ sortem diligenter etiam curabat. Cum Oppiis argentariis Terentia et Philotimus tractabant [5]. Antequam ab Italia discederet, jussit eam fundum Arpinatem habitare, simul ut abesset a bello, et quia in urbe victus nimium onerosus esset [6].

Flagrante vero bello civili, jurgium inter eos ad summum venit. In summa necessitate Cicero fuit, nec solum pecunia caruit, verum etiam comperit suas res in urbe minime valere, quod manifesto uxori et Philotimo imputavit [7]. Atticum, non uxorem orat, ut Tulliæ consulatur ; sane HS. LX [8], quæ ex dote Tulliæ detracta fuisse queritur, Terentiam arripuisse putat ; et erant etiam injuriæ majores de

1. *Ad Att.*, IV, 1, 8.
2. *Ad Att.*, IV, 2, 7.
3. *Ad Att.*, VII, 1, 9.
4. *Ad Att.*, VII, 26, 3.
5. *Ad Att.*, X, 4, 12 ; 7, 3.
6. *Ad fam.*, XIV, 7, 3.
7. *Ad Att.*, XI, 1, 2.
8. 12.000 fr. *Ad Att.*, XI, 2, 2.

quibus dicebat se dolore et lacrimis scribere prohiberi. Ut Plutarchus refert, eam repudiavit quod tunc ipsum orbatum omnibus rebus necessariis reliquisset, nominibus afflixisset et domum minime curavisset[1].

Post reditum in Italiam, major etiam discordia facta est. Brundisii magnæ pecuniæ Ciceroni opus erat, dum adventum Cæsaris exspectat. Terentia lente et iniquo animo mittebat quod mittere necesse erat[2]; quod vehementer Cicero querebatur. Ploratis ejus injuriis, unum narrat, ad quod, ut dicit, nihil addi potest: scripserat ad Terentiam Atticus ut HS. XII Ciceroni permutaret; illa X[3] misit et addidit tantummodo esse reliquum: « Quum tam parvum de parvo detraxerit, ait iratus Cicero, perspicis quid in maxima re fecerit. » Ipse Philotimus, ut Ciceroni referebatur, non optime de domina sentiebat, quum diceret se putare « eam scelerate quædam facere[4]. » Negligenter simul et pæne inhumaniter cum Cicerone ille agebat : non curabat eum certiorem facere quid ageretur quum, Cicerone angore et dolore confecto, ipse cum Cæsare Ephesi conveniebat[5]. A Terentia Cicero putavit testamentum esse faciendum ante divortium. Non audebat vero ipse eam hoc monere et orabat Atticum ut cum Camillo communicaret et Terentiam de hoc moneret. Erant enim Terentiæ ipsius res non plane expeditæ et Cicero cupiebat eam satisfacere illis quibus debebat et curare ne liberi, e negligentia ejus, aliquid detrimenti caperent[6]. De illo testamento in plurimis locis etiam agitur[7].

Tempus divortii non plane novimus; factum esse vero a. U. c. 708 (a. C. 46) videtur[8]. Non vero, illo confecto, explicatæ sunt res Ciceronis uxorisque. In posterioribus etiam epistolis patet inter eos etiam tum fuisse negotia. Verisimile est Ciceronem coactum fuisse dotem aut ejus partem restituere; quod non parum rem ejus impe-

1. Plut., *Cic.*, 41.
2. *Ad Att.*, XI, 11, 2.
3. 2.400 fr. et 2.000 fr. *Ad Att.*, XI, 16, 5.
4. *Ad Att.*, XI, 16, 5.
5. *Ad Att*,, XI, 24, 4.
6. *Ad Att.*, XI, 16, 5.
7. *Ad Att.*, XI, 21, 1 ; 22, 2; 23, 1 et 3; 25, 3.
8. *Ep. ad. fam.*, IV, 14, 3, ut videtur, secundis nuptiis enim alludit.

divit[1]; nec, quamvis Cicero rapide hoc confici cuperet, facile erat, corrupto opum ejus statu. Si dotis pars restituenda est, videtur tamen Terentia, ex altera parte, satis magnorum bonorum fructum reliquisse ad filium sane sustentandum. Non scimus quanta pecunia ei a marito solvenda fuerit; mercedes vero insularum quas illi tradiderat ad HS. LXXX[2] veniebant. De suis testamentis etiam invicem in certamen venerunt. Ciceronem Terentia de testamento reprehendit, quod obsignatoribus non contenta erat nec illud satis honorificum de nepote factum esse judicabat. In aliis locis satis obscuris Ciceroni Terentiæ testamentum non omnino placuisse videtur, quum cuperet ut magis Ciceroni adolescenti faveret[3].

Constat igitur Terentiam, si in prioribus annis auxilium marito attulit præter dotem, in sequentibus fuisse avaritia et negligentia magnam molestiam; et si ad bonum statum rei familiaris tuendum per multos annos adjuvit, circa finem vitæ Ciceronis, primum peculiaribus suis concussionibus, deinde dote sua restituenda, maxime turbavisse ejus domum. Credam libenter, etsi id non plane manifestum est, eam invidisse Attico participi rei familiaris, et, ex contentionibus inter ambos absconditis, nonnunquam Ciceronis rem satis laboravisse.

IV

De Quinto, fratre minore Ciceronis, pauca quoque dicenda sunt. Erat satis dives. Possidebat paternam domum in Carinis, aliam in Argileto non mediocrem, aliam in Palatio[4]. Habebat villas et prædia plura : Tusculanum, Arcanum et alia[5].De illis domibus et villis sæpissime Cicero cum eo locutus est, quum eas, absente Quinto, curabat[6]. Per longum tempus familiarissimus cum Cicerone fuit. Invicem res suas fratres ambo curabant et sese adjuvabant mutuis

1. V. ut opinor, *ad Att.*, XII, 37, 3; XVI, 6, 3 et XVI, 6, 5.
2. 16,000 fr.
3. *Ad Att.*, XII, 18, 4; 20, 2; 21, 3; 22, 1, 28, 1; XIII, 2, 1.
4. *Ad Quint.*, II, 3, 7; *ad Att.*, I, 14, 7; *ad Quint.*, II, 4, 2.
5. *Ad Att.*, IV, 7, 3; *ad Quint.*, II, 5, 4; III, 1 et 2.
6. *Ad Quint.*, II, 6, 9; 7; III, 1, 1 et 2; 9, 7.

opibus, etsi non amœnissimi ingenii Quintus fuisse videatur[1]. Tempore exsilii, maximam utilitatem fratri attulit et eum omnibus opibus auxit. « Quid ad me scripsisti de permutatione, Marcus scribit, quasi vero nunc me non tuæ facultates sustineant[2]? » Debitam ex ærario pecuniam fratri Cicero acceperat et dissipaverat, quod in exsilio etiam dolorem augebat. Videtur immo Quintus ipse pecuniam mutuam sumpsisse ut eam Marco daret. Cicero dignum se hujus amoris ostendit : nam ubi Romam redierat, ipse pecuniam mutuatus est ut liberalitati ejus recusantis responderet, et nummos rescripsit quos ei debebat[3]. Ei magnam gratiam servavit et, postquam res iterum valere cœperunt, eum salutis suæ auctorem vocabat.

Fatendum præsertim Ciceronem magis etiam, ut videtur, fratri profuisse quam ipsi fratrem. Sæpissime enim ejus negotia curat[4]. Quum ille Roma abest, omnibus ejus rebus studet. Ædificationes ejus inspicit in urbe; domos conducit; cum fabris et architectis tractat. Prædia et villas visitat et perspicit. Bibliothecam instruit[5]. Querebatur lepide quod quondam metuisset Quintus ne se interpelleret[6]. Atticum, qui parum Quinto favebat nec semper creditor facilis erat, deprecabatur ne eum ad solvenda nomina nimium urgeret[7]. Quintus, ejus benignitatis causa, sibi perpetuam a fratre gratiam esse servandam putabat. In bello civili questus est quod a fratre pecuniam non accepisset, quum ille Pompeio aliquid mutuum dederat; respondit Cicero non se ab eo rogatum fuisse, nec ipsum pecuniam aspexisse quam Pompeio detulerat[8]. Non videtur Marcus pertinacia ejus commotus fuisse; nec desivit quantum posset ei præstare. Pro eo cum Castricio de quibusdam servis emendis aut reddendis per Atticum tractat[9], et quum aliquid numeratæ pecu-

1. *Ad Att.*, I, 17, 6.
2. *Ad Quint.*, I, 3, 7.
3. Sic, ut opinor, *ep. ad Att.*, IV, 3, 6, intelligendum est.
4. *Ad Att.*, II, 16, 4; 4, 1.
5. *Ad Quint.*, II, 3, 7; 2, 2 et 5; 5, 3 et 4; III, 1, 1-6.
6. *Ad Quint.*, II, 8, 1.
7. *Ad Att.*, VII, 18, 4; X, 11, 2; 15, 4.
8. *Ad Att.*, XI, 13, 4.
9. *Ad Att.*, XII, 28, 3.

niæ se habiturum putat, Quinto illud delegare cupit[1]. Mense Junio a. U. c. 710 (a. C. 44), Quintus ei magnos nummos debebat, verisimiliter circa HS. cc; quam enim pecuniam mutuam sumere cogitabat Cicero usque ad diem qua Quinti nummi caderent[2]. Videtur in summa Ciceronem magis etiam fratris negotia curavisse quam illum ipsa : itaque non tam inexpertum in his rebus fuisse, ut ab aliquibus dictum est.

Non neglecta igitur res Ciceronis fuit, etiamsi ipse in ea animum non satis habuerit; Atticus, Terentia et Quintus, ne dicam alios[3], de ea maxime laboraverunt.

V

Ad omnia negotia tractanda quæ in satis magna re familiari gerenda incumbere necesse est, sub domino fidos procuratores esse oportebat. Ad emendum, vendendum, mutuum sumendum aut dandum, fructus recipiendos, nomina solvenda aut appellanda et alia talia, valde hominem sibi omnino deditum Cicero desideravisset. Ex libertis et servis quibus maxime in epistolis alluditur, de tribus pauca verba dicere necesse est : id est, de Philotimo, de Erote et de Tirone.

Philotimum existimare licet non multum domino satisfecisse, rem contra satis negligentia ejus laboravisse. Erat Terentiæ libertus[4] et, ut videtur, ei deditissimus et fidissimus. Forsan ejus bona, ut servus dotalis, omnino et peculiariter curaverit. Verisimile est tempore

1. *Ad Att.*, XIII, 46, 4.
2. 40,000 fr. *Ad Att.*, XV, 20, 4.
3. Dicit se magno fructu forensi et domestico privatum esse morte Lucii cujusdam; quem vocat « fratrem » id est *propinquum* (*ad Att.*, I, 5, 1).
4. *Ad Att.*, VI, 4, 3 : « τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος ». Cf. *ad Att.*, VI, 5, 1, etc. Ex satis obscuris locis videtur vel ipse, vel ut dominæ procurator, hereditatem quamdam crevisse. In *ep. ad Att.*, VI, 1, 19, agitur de Philotimo et de solutione HS. XXDC; in *ep. ad Att.*, VI, 5, 2, Philotimus dicitur « κληρονομήσας » MCCLXXX minas. Pecunia eadem in duobus his locis forte significatur; facta enim permutatione, summæ non multum inter se differunt : circiter 116,000 et 102,000 fr. (plane potest in secunda sumptus qui ad hereditatem accipiendam necessarii essent detractos esse). Patet hanc pecuniam Ciceroni non esse attributam. Ex iisdem locis potest hanc fuisse hereditatem cujusdam incolæ Chersonesi, qui Ciceroni ipsi minas XLVIII reliquerit (circiter 4,000 fr.).

quo cum Terentia bene vivebat et ei multa domestica munera deportabat, Ciceronem consuevisse isti liberto multa de ipsius re curanda tradere. Homo sane callidus et acutus erat, non vero, ut judicare possumus, probissimus, nec Ciceroni satis deditus. Dominum ad emenda exsulis Milonis bona, id est ad parum honesta negotia allexit; deinde, quum conficere negotium non potuit, Cicerone auctore, ad ulciscendum videlicet, fructum ei quod debebatur solvere noluit; falsas rationes ostendebat, nomina ficta Ciceroni prætendebat et eum pæne irridebat. Non audebat Cicero satis reclamitare et ad Atticum scribere cogebatur ut eum honestiorem fieri ille suaderet. Itaque ei minus postea confidit et noluit Precianam hereditatem per manus ire[1]. Non tamen omnino ei curam negotiorum suorum abstulit, nec eis ipse diligentiam adhibuit qua uti Attico pollicitus erat. Atticus sane consilium dederat ut Philotimo diffideret, non temere. Ei enim certe alludit Cicero in discrimine a. U. c. 706 (a. C. 48), ubi dicit se fidem suam expeditam putavisse, credentem, ut scribit « ei cui tu scis jampridem me minime credere »[2]. Queritur etiam de eo satis frequenter et, ut videtur, non sine causa. Quo magis Terentia invisa esse cœpit, eo magis Philotimum despexit, et, facto divortio, eum sane Cicero non desideravit. Verisimile est ejus avaritia et dolis Ciceronis rem satis laboravisse.

Præcipuus procurator rei familiaris Ciceronis Eros[3] fuisse nobis videtur[4]. Quem probiorem hominem fuisse credere licet, non tamen rei domini satis accurate studuisse apparet. In nomine quodam solvendo, ejus negligentiam vituperat Cicero et ad Atticum recurrere debet[5]. In alio loco dicit se, quum profecturus esset, manere debuisse : nam quum ex Erotis dispensatione abundare debuisset, sine numerata pecunia erat et cogebatur mutuari. Jusserat Cicero pecuniam multam ad fanum Tulliæ ædificandum seponi et illam sub manu se habere putabat : quod vero non fuerat con-

1. *Ad Att.*, VI, 4, 3; 5, 1 et 2; 9, 2; VII, 1, 9.
2. *Ad Att.*, XI, 1, 2.
3. Non est idem qui in *ep. ad Att.*, X, 15, 1 ut Philotimi servus designatur.
4. *Ad Att.*, XV, 15, 4.
5. *Ad Att.*, XIV, 18, 2.

fectum. Ad fidum Tironem igitur de hoc scribere oportuit [1]. Ex negligentia ejusdem alia molestia Ciceroni accidit; spoponderat pro amico Montano et nummos ad id constitui jusserat. Nullo modo hoc mandato Eros functus est. Coactus est Montanus versuram facere iniquissimo fœnore [2]. Non igitur plane expurgatæ erant, ut videtur, Erotis tabulæ, non fraude verisimiliter, verum negligentia. Confitendum est tamen non facile fuisse rem tam impeditam Ciceronis accurate ministrare; præsertim quum dominum ipsum non ordinatissimum fuisse et forte jussa et proposita facile mutavisse verisimile sit.

Inter omnes vero fidissimus Tiro, servus et deinde libertus, fuit. Eum non servum, sed amicum familiarissimum, Cicero habebat. Ei litteras scribebat, omisso prænomine [3]; quum ægrotabat, maxime Cicero dolebat et jubebat eum nihil negligere ut convalesceret [4]. Summam necessitatem inter dominum et servum fuisse ex multis locis patet. Non sane rei domesticæ curæ erat præpositus, nec procuratoris negotiorum partes habebat; ad meliora et liberaliora mente destinabatur; scriba, in omnibus quæ litteras spectabant, apud Ciceronem valde versabatur. Non tamen omnino a pecuniariis rebus sese abstinuit. Semper in iis patronum adjuvit, præcipue vero in fine vitæ Ciceronis, quum Terentia et Philotimus ei invisi esse cœperunt; et præsertim post divortium sæpe ad eum omnia a Cicerone delata sunt, quum opus erat homine fido et integro [5]. Nomina curat professionesque quibus utendum erat, nuper acquisita aliqua pecunia [6]. Debitores appellat. Ad solvendas pensiones aliquas (Publiliæ aut Terentiæ dotis sane) operam dat; tractat cum Dolabella [7]. Quæ negligentia Erotis laborant ei reficienda sunt [8]. Cum Terentia agit de pensione quadam [9]. Eo juvante, forte melior status rei familiaris in fine vitæ fuit.

1. *Ad Att.*, XV, 15, 3.
2. *Ad Att.*, XVI, 15, 5.
3. *Ad fam.*, XVI, 18.
4. *Ad fam.*, XVI, 3 et 4.
5. *Ad fam.*, XVI, 19.
6. *Ad fam.*, XVI, 19; 23, 1.
7. *Ad fam.*, XVI, 24.
8. *Ad Att.*, XV, 15, 3 et 4; cf. 20, 4, ubi rationes ejus explorat.
9. *Ad Att.*, XVI, 15, 5.

Sub iis præcipuis tribus procuratoribus erat multitudo libertorum et servorum ut apud omnes optimates urbis. Quorum multa nomina nota sunt [1]. Erant sane plurimi : nam unum plurium officia habere non libenter ferre solebat Cicero. Erant nonnulli quos verisimiliter secum ubique habebat. Sed eorum major pars in eodem loco manebat semper; villarum domorumque quæque suam familiam habebat. Domus Romæ magnum numerum sine dubio desiderabat. Villæ procuratoribus et villicis munitæ erant. Non peculiare id Ciceroni erat, nec amplius de hoc disserendum est. Erat sane facilis dominus. In quodam loco, quum Catonem nimium severum in publicanos esse judicat, dicit eos non secus ac peculiares colonos esse tractandos [2]. Compertum habemus, mortuo servo quodam, Ciceronem dolore confectum esse, adeo ut ipse id esse pæne turpe putaret [3]; de servis et liberis bene semper loquitur. Attamen ex aliquorum vel errore vel vitio nonnunquam damna passus est : eorum unus libros ei rapuit. Verisimile est domesticos paulum ejus benignitate esse abusos et sæpe aliquid negligentiæ suis curis adhibuisse. In omnibus his vero, non multum magis quam conjecturas facere possumus.

In summa patet rem Ciceronis, quum non quam diligentissime gesta sit, non tamen omnino neglectam esse ; neque, ut nonnulli dixerunt, prætendendæ sunt ejus dissipationes et profligationes ad sumptus immensos fingendos. Ex altera parte non negandum est ipsius quadam socordia et incuria aut propinquorum injuria eam satis laboravisse. Itaque, ut de eo bene judicemus, meminisse debemus, quum non ab eo solo rem curatam esse, tum non ab eo solo eam impeditam et pæne fractam fuisse.

Rem igitur satis magnam, non immensam, reditus honestos, non regales; regimen nec diligentissimum nec neglectum fuisse patet. Quibus sumptibus sufficere opes illas necesse esset, nunc pauca nobis dicenda sunt.

1. Drumann, *op. cit.*, t. VI, p. 402 sq.
2. *De officiis*, III, 22.
3. *Ad Att.*, I, 2, 4.

CAPUT IV

DE CICERONIS SUMPTIBUS

I. Ut patrisfamiliæ. — II. Ut optimatis. — III. Ut magistratus.

Quæstuum quos vidimus partem magnam, haud scio an majorem, ad domos villasque emendas et ornandas consumptam, et regimine procuratorum rem potius prodigaliter quam avare gestam esse patet : itaque, quum de re et de consuetudinibus ejus in ea gerenda tractavimus, jam ejus sumptuum multos notos habemus. Reliquis pecuniis ad impensas quasdam faciendas usus est, de quibus nunc tractandum est.

Ut paterfamilias, ut civis optimus et liberalis, ut homo denique publicus, quibusdam muneribus fungi debuit quæ non sine sumptu erant et multam pecuniam desideraverunt.

I

Duos liberos habuit quorum causa satis res ejus impedita est. Non a pueritia quidem sumptus paternos repetere nobis in animo est. Patet vero Tulliæ, dilectissimæ filiæ Ciceronis, tres nuptias, duo divortia, dotes aut solvendas aut recuperandas non parum patri oneri fuisse[1]. Dotes ejus quantæ fuerint nescinus. Si, quum Piso eam duxit, credi potest dotem non fuisse magnam, in secundis nuptiis et in tertiis præcipue non fuit mediocris.

De primo ejus connubio parum nobis notum est quod ad pecuniam attinet. Pisonem generum Cicero habuit carum. De

1. V. Antoine, *La famille de Cicéron ; Tullia, sa fille*, in *Mémoires de l'Académie de Toulouse*, ann. 1889, p. 90.

fortuna filiæ tamen satis laboravit quum exsul erat; Piso ipse, soceri causa, vehementer populo displicebat; Cicero Tulliam Terentiæ peculariter commendabat [1].

De confectis cum Crassipede nuptiis minus etiam compertum est; hunc ut maritum ejus Plutarchus ne memorat quidem. Forsan, quum omnia jam sponsa erant, dissolutæ sint. Verisimilius est eam fuisse ejus uxorem per breve tempus [2]. Hæ nuptiæ fuerunt tempore quo minime res Ciceronis valebant. Quod Attico scribit: « Viaticum Crassipes præripit [3] », satis aperte significat eum pecuniam, quam ad itinera solvenda seposuerat, primam dotis pensionem dare debuisse.

Maxime vero tertiæ Tulliæ nuptiæ Ciceronem impediverunt. Dolabellam enim nupsit pæne adolescentem, voluptuosum et libidinosum. Non multum ante initium belli civilis ei nupta est : jam vero mense Februario a. U. c. 706 (a. C. 48) Cicero de ejus sorte animo angebatur. Negligentem esse Dolabellam suspicabatur et Atticum obtestabatur ut illam miseram opibus tueretur [4]. Cito enim Ciceronem harum nuptiarum pœnituit. Erat vero Dolabella in partibus Cæsaris, et, si ab eo discessum esset, periculosum forte id Ciceroni fuisset. Itaque, omissis hujus injuriis in uxorem, Cicero divortium nolebat. Curare igitur dotem oportebat. Quanta fuerit illa nescimus; « tantam pecuniam » Cicero vocabat quod ei solverat; id est non totam dotem quidem. In tribus pensionibus afferenda erat. Prima, ut videtur, socordia forte Terentiæ, inferior fuit HS. LX [5] pretio sponso. Secundam adhibere multum dubitavit Cicero. Nam simul timebat ne Dolabellam Cæsaremque a se alienaretur ; et, divortio ut necessario imminente, timebat ne pecunia corrumperetur, si solveretur. Tandem solvit; attamen, paulo post, divortio facto, vehementer istam secundam pensionem desideravit [6].

Etenim, ut dotem recuperaret, per reliquam vitam omni ope

1. *Ad fam.*, XIV, 4, 3.
2. *Ad Quint.*, II, 3, 2; 5, 1; *ad fam.*, I, 7, 11, etc.
3. *Ad Att.*, IV, 5, 3.
4. *Ad Att.*, XI, 2. 2.
5. 12,000 fr. *Ibid.*
6. *Ad Att.*, XI, 4, 2; 23, 3; 24, 1; *ad fam.*, XIV, 6; VI, 18, 5.

atque opera enisus est, non vero cum prospero eventu, ut videtur. In multis ejus epistolis hanc pensionem a Dolabella expetendam leviter attingit[1]. Non facile erat eam obtinere, nam patientiam et suavitatem adhibere necesse erat. Hujus autem pecuniæ maxime Ciceroni opus fuit, præsertim quum etiam dotem Publiliæ restituere debuit. Ex quodam loco epistolarum[2] videtur Dolabella ei attributionem parum fidam delegavisse. Post mortem Cæsaris tandem non passus est Dolabellam semper secum improbissime tractare, et ad Atticum scripsit : « De summa autem agi prorsus vehementer et severe volo », et de viis quibus jure uti posset ad nomen solvendum cum eo disseruit[3]. Quum vero jam a. U c. 710 (a. C. 44) finis esset, verisimile est eum pecuniam non recuperavisse quam in duobus illis pensionibus dederat.

Cum filio Marco liberalissime Cicero egisse videtur, quanquam parum paternæ humanitati ille respondit. Nescimus quantis sumptibus per omnem pueritiam et adolescentiam eum sustentaverit : fuerunt sane ingentes, quum nihil ad bene ornandum eum a patre omitteretur. Novimus autem quantam pecuniam ei pater ministraverit quum Athenis litteras et philosophiam discebat. Liberalitatem a patre requirebat, et cupiebat in Hispaniam cum Cæsare bellum gerere. Liberalitatem Cicero non denegabat; non vero ei Hispania placebat. De hoc ad Atticum scripsit, et tandem deliberatum est adolescentem Athenas mittere; quod ille habuit gratum[4]. Ut ejus obedientiæ responderet et quia suæ dignitatis putabat nihil filio esse defuturum, valde liberalis in eum esse Cicero statuit. Antequam de profectione ageretur, dixerat pater se cum eo tractare velle ut cum filiis Publicius et Lentulus, optimates urbis[5]; et quum ille Athenas petere debuit, voluit pater eum eosdem sumptus facere quos Bibulus, Acidinus et Messala, principum civium filii[6].

Mense Aprili a. U. c. 709 (a. C. 45) profectus est. Omnia quæ ad

1. *Ad fam.*, VI, 18, 5; *ad Att.*, XII, 8; 12, 1; XIV, 20, 1; 21, 1.
2. *Ad Att.*, XVI, 3, 5.
3. *Ad Att.*, XVI, 15, 1 et 2.
4. *Ad Att.*, XII, 7, 1; 32, 2.
5. *Ad Att.*, XII, 7, 1.
6. *Ad Att.*, XII, 32, 2.

eum attinebant antea pater cum Attico constituerat. Atticus « quid viatici, quid instrumenti » oporteret disposuerat. Non jumenti Athenis ei opus esse putatum est ; hoc quod in via necessarium erat satis ingens paternam domum habere[1]. Magna res erat quomodo annuum ei solveretur : grave et molestum et adolescenti periculosum fuisset pecuniam secum ferre vel Roma accipere. Atticus nummarias consuetudines ubicumque habebat et, eo juvante, Cicero permutatione uti potuit : Attico Romæ annuam filii pecuniam solvebat : huic autem, vel potius ejus pædagogo, Athenis ab Attici debitoribus aut ex fructu bonorum quæ habebat in Epiro, pecunia sine vectione curabatur[2].

Non magnæ modestiæ et humanitatis primo anno Cicero fuit. Eum deinde luxuriæ pœnituit, ut videtur, moderationem adhibuit, et ad melius genus vitæ rediit. Quum multum intemperantia ejus pater laboravisset, maxime gavisus est quum sapientior esse cœpit; verisimile scilicet est, adolescentem peccati dolorem et reditum ad sapientiam verbis auxisse[3]. Quidquid est, semper maxime patri curæ fuit ne aliquid ei deesset. Putabat pertinere ad suam existimationem eum pecunia non carere[4], et Attico scribebat se velle filium tractare « non modo perliberaliter..., sed etiam ornate cumulateque[5] ». Quum in pensione solvenda aliquid moræ est, mœret, et exsultat quum, non sine aliqua arte et simulatione, filius moderationem ostentat.

Erant fructus peculiariter constituti ad hanc impensam : mercedes dotalium bonorum quæ Terentia sane marito ad filium sustentandum reliquerat. Erant HS. LXXX[6] : hanc pecuniam annuam Cicero filio destinavit, quanquam HS. LXXII satis esse Ovius, quum Athenis redibat, dicebat[7]. Primo anno majus etiam argentum acce-

1. *Ibid.*
2. *Ad Att.*, XII, 24, 7; 27, 1; XV, 15, 4; ad hæc forsan *ep. ad Att.*, XIII, 37, 1, referri possit.
3. V. *ad fam.*, XVI, 21.
4. *Ad Att.*, XIV, 16, 4.
5. *Ad Att.*, XV, 15, 4.
6. 16,000 fr. *Ad Att.*, XII, 32, 2; XV, 20, 4; XVI, 1, 5.
7. 14,400 fr. *Ad Att.*, XVI, 1, 5.

pit : ei HS. c Atticus curavit[1] : decretæ pecuniæ vero addendi fuerant sumptus itineris[2]. Non videtur Cicero hanc pecuniam accuratius curavisse quam reliquam rem. Mox Marcus questus est sibi nihil datum esse post kalendas Apriles a. U. c. 710 (a. C. 44), primo anno tum confecto [3]. Pater scripsit ad Atticum ut permutaret Athenis quod foret ei in annuum sumptuum ; non sane id in ejus manus deportandum erat, sed Xenonis, qui non temere, verum perexigue, si adolescentem volumus audire, hanc pecuniam ministrabat [4]. Addebat Cicero Erotem hanc pecuniam Attico esse numeraturum. Quum Atticus responderet se nihil adhuc ab Erote accepisse, quum HS. c anno proximo Ciceroni permutavisset[5], Cicero præcepit ut ab Erote quæreret ubi esset merces insularum. Hæc pecunia sane lente solvebatur. Nam si fideliter curaretur, sufficere debebat [6]. Tandem Cicero eam obtinuit, quæ spem etiam superavit. Ne vero alia mora foret, ex HS. ccx quæ accepit (sane nomen aliquod solutum) rationes filii explicatæ sunt [7]. His numeratis nummis in uno sumptus annuus solutus est, non paulatim ex mercedibus, ut illæ redibant.

Liberaliter igitur, ut professus erat, cum filio Cicero egit. Pecuniæ major pars sane e bonis a Terentia relictis capiebatur. Verisimillimum est tamen patrem pretium statutum potius superavisse quam minuisse, quanquam illo tempore minime res ejus valebant.

II

Ejus fama et existimatione non erga pueros solum sed in omni habitu vitæ liberalitas requirebatur. Huic officio non defuit; indole ipsa ad liberalitatem eum formatum esse jam antea diximus.

In libro *de officiis* inscripto, quomodo rem familiarem geri vellet

1. 20,000 fr. *Ad Att.*, XV, 17, 1.
2. *Ad Att.*, XVI, 1, 5.
3. *Ad Att.*, XV, 15, 4.
4. *Ad Att.*, XVI, 1, 5.
5. *Ad Att.*, XV, 17, 1.
6. *Ad Att.*, XV, 20, 4.
7. *Ad Att.*, XVI, 1, 5.

exposuit[1]. Decet, ut ipsius verbis utar, « quum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum, in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, vicinitatibus et confiniis æquum, facilem, multa multis de suo jure cedentem, a litibus vero quantum liceat abhorrentem..... petenda [est] ratio rei familiaris, quam quidem illabi sinere flagitiosum est, sed ita ut illiberalitatis avaritiæque absit suspicio »[2]. Non hæc solum verba erant : benignitatis et pudoris causa, non satis vehementer post exsilium postulavit pensationem, et infirmiorem æquo accepit[3]. Semper vidimus eum, quum in iis quæ ad se ipsum pertinebant, tum in iis quæ ad alios, sine avaritia, etiam non sine aliqua prodigalitate rem gessisse. Non imitabatur maternam avaritiam[4]. Quum ei ornatum et delicatum ingenium esset, frequentatione Græcorum expolitum et in omnibus artium omnium oblectamentis versatum, minime rusticitati Catonis favebat. Delectabatur bene apparatis epulis[5], vestimento expurgato[6]. Ignobile putabat eumdem servum domi plura habere officia[7]. Signa, tabulas pictas et alia hujus generis valde optabat[8]. Quum hoc studium notum esset, accidit ut nimis officiosi amici eum ad sumptus largiores proposito allicerent. Caros habebat libros quos servi Attici comparabant[9]. Maximo dolore confectus est quum servus ei partem bibliothecæ arripuit[10]. Villas omnibus munditiis ornavit, ut supra diximus[11].

Ex alia parte quum amico utilitati esse poterat, non minus erat liberalis. Liberalitatem honesti hominis cujus pauca exempla possuisse dicit describit[12]. Hæc est, ut dicit, captos a prædonibus redi-

1. *De officiis*, II, 17.
2. *De officiis*, II, 18.
3. *Ad Att.*, IV, 2, 5.
4. *Ad fam.*, XVI, 26, 2.
5. *Ad fam.*, VII, 26 ; IX, 24, 2.
6. Dio, XLVI, 18.
7. *In Pis.*, 27, 67.
8. *Ad Att.*, I, 4, 2 ; 10 ; *Verr.*, II, 4, 7.
9. *Ad Att.*, I, 7 ; 11, 3.
10. *Ad fam.*, XIII, 77, 2.
11. Ex *ep. ad Att.*, VI, 1, 26 constat eum voluisse monumento Athenas donare. Nescimus an fecerit ; sed certe talibus sumptibus qui ad famam suam pertinebant nonnunquam usus est.
12. *De officiis*, II, 16.

mere, æs alienum amicis suscipere, hos in filiarum collocatione adjuvare aut opitulari, vel etiam in re vel augenda vel quærenda. Harum largitionum aut talium multa novimus. Diodotum philosophum suis nummis sustentavit; Pammeni domum cum Attico donavit[1]; Tironem ægrum ut nihil de impensa curaret flagitabat[2]. Pro amicis spondere aut satisdare solebat[3]. Liberalitas in multis aliis negotiis reperiri posset : cujus fuerit in fratrem jam ante diximus.

In libro *de officiis* inscripto legitur[4] : « Est enim, ut mihi videtur, valde decorum patere domus hominum illustrium hospitibus illustribus idque etiam reipublicæ est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. Est autem vehementer utile eis qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia. » Quum ei multæ erant externæ consuetudines, certe hoc officium ei sæpe evenit. Habebat recipiendos cives urbium quarum patronus erat et peregrinos reges. Quum Ariarathes, Ariobarzani filius, ad quem hereditas regni Cappadociæ pertinebat, Romam petiit, eum per litteras invitavit ut apud se diversor esset. Sæpius hospites amicos apud se habebat, Piliam, Atticum, Hirtium et alios[5]; hos ipsos perlibenter munifice accipiebat. Marium quondam lectica octophoro centum armatis sequentibus portavit[7]. Familiares ejus domibus utebantur, etiam eo absente. Gaudet in epistola « Brutum apud se fuisse... modo, inquit, ut libenter fuerit et sat diu[8]. » Erant alii hospites majoris sumptus. Narravit Attico quomodo Cæsarem in Puteolano recepisset cum comitatu ingente. Villa completa militibus erat : eorum copia ad duo millia ibat. Magnifice Cæsarem ipsum tractavit; « præterea, ut

1. *Ad Att.*, V, 20, 10.
2. *Ad fam.*, XVI, 4, 2; 9, 2; cf. *ad Att.*, VIII, 5, 2; 6, 3.
3. *Ad Att.*, XII, 17, 2; 14; 52, 1; XVI, 6, 3; 15, 5.
4. *De officiis*, II, 18,
5. *Ad Att.*. XIII, 2, 2.
6. *Ad Att.*, XIV, 16, 1; II, 16, 4; XV, 1 a, 2.
7. *Ad Quint.*, II, 8, 2. Notandum est tamen non ipsius sed Anicii hoc instrumentum fuisse, et forte tam magnum comitatum necessarium fuisse, si tempus Clodianorum furorum erat.
8. *Ad Att.*, XV, 3, 2.

dicit, tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copiose : libertis minus lautis servisque nihil defuit, nam lautiores eleganter accepi : quid multa? homines visi sumus[1] ». Ut sic « homo » videretur, et ad talia hospitia et alia minus regalia sed frequentiora facienda, domibus ornatis, familiis copiosis et sumptu largo opus erat.

Ad se ipsum et amicos bene tractandos, et ut famæ suæ consuleret, satis magna impensa igitur Ciceroni fuit : quam fecit, ut videtur, non temere et prodigaliter, sed cum magna liberalitate.

III

Impensarum ingentium, immo immensarum, causa erat multis magistratus reipublicæ gerere. Gratuitos omnes fuisse notum est Non tamen lege constitutum erat eos fore sumptui iis qui illos adipiscerentur. A senatu decretam pecuniam ex ærario accipiebant ad sumptus necessarios magistratus solvendos ; variis nominibus hæ pecuniæ dicebantur, ut quæque destinabatur. Ad ludos edendos, ut exemplum, nummi decernebantur peculiares[2].

Non vero sine proprio sumptu plerique solebant aut candidati esse aut magistratibus fungi.

Quum totum cursum honorum Cicero lustraverit, candidatus sæpe fuit. Equidem, ut primum candidatus exstitit, statim semper designatus fuit : itaque non bis eumdem magistratum petere debuit, quod sane ejus sumptus minuit. De petitis ab eo magistratibus nihil peculiare scimus nisi de consulatu. Ad eum adipiscendum largissimi sumptus fiebant. De hoc habemus satis grandem epistolam Quinti ad fratrem, *de petitione consulatus* inscriptam. Credere licet Ciceronem ejus consiliis usum esse, quæ sane non multum a suis discrepabant. Itaque de ejus consuetudinibus docemur. Quintus præcipit ei amicis uti et sane benevolentiam civium et favorem populi ipsi comparare. Non vero largitiones ei commendat ; immo, eas quibus ceteri candidati utebantur vituperat[3]. Erant sane

1. *Ad Att.*, XIII, 52.
2. Marquardt et Mommsen, *Manuel des antiquités romaines*, gall. transl., t. I, p. 330 sq.
3. *De petit. consul*, 9 ; 14.

sumptus qui non vitandi essent, ut illa convivalia quæ « passim et tributim » celebrari solebant ; non illa pretiosa erant et certe parva videntur siquidem meminimus Milonem ommibus civibus tributim assa M curavisse[1]. Addendum est, quum orationibus et ingenio fama Ciceronis in urbe ante ipsum consulatum multum valeret, ita, ut celebraretur, non multa impendere debuisse. Denique, quum esset et equitibus et optimatibus carus, non hostes multos allicere debuit, ut plerisque accidebat. Non magnis sumptibus igitur hunc magistratum inter omnes optatum adeptus est. De ceteris eadem sentire possumus, similibus causis. Verisimile est igitur eum immensam pecuniam, ut magistratus ambire posset, nunquam mutuatum esse, ita ut, sicut alii, ad rem reparandam provinciam aliquam exspoliare deberet.

Scimus pariter eum non in magistratus gerendo magnos sumptus fecisse ut plebi sese gratum faceret. Inferioribus magistratibus plerique utebantur at plebem ambiendam, ut consulatus et proconsulatus postea decernendi essent; quod facere Cicero noluit. In quæstura, diis in Sicilia argenteum monumentum devovit nec magis populo placere conatus est[2]. Ædilitas immensos sumptus pæne semper requirebat. Ipse Cicero scribit « in civitate inveterasse jam bonis temporibus ut splendor ædilitatum ab optimis viris postularetur[3]. » Cæsar incredibilem pecuniam, dum ædilis fuit, corrupit[4]. Non sic Cicero. Quid de largitionibus faciendis sentiret ipse exposuit[5]. Inutiles et immoderatas largitiones valde vituperat. Bona causa largitionis est quum sint necessariæ aut utiles : in his ipsis autem mediocritas optima regula est. Meliores impensæ sunt quæ ad usum reipublicæ pertineant ut « muri, navalia, portus, aquarum ductus ». Theatris, porticis, templis ædificandis minus favet; ratio « talium largitionum genere vitiosa est, temporibus necessaria et tum ipsum et ad facultates accommodanda et mediocritate moderanda est. » Sumptibus qui præsentem jucunditatem

1. 50 fr. V. Marquardt et Mommsen, *op. cit*, t. VI, p. 220.
2. Plut., *Cic.*, 1.
3. *De officiis*, II, 16.
4. Dio, XXXVII, 8.
5. *De officiis*, II, 17.

habeant, ut ludi, utendum est pro facultatibus, quum vehementer a populo postulantur, bonis viris approbantibus. Eos laudat Cicero qui honores et obtinuerunt et gesserunt sine grandibus largitionibus. Postquam Philippum, Cottam, Curionem, qui amplissima sine munere adepti erant, dixit, se ipsum memorat licere hoc quodam modo gloriari : « Nam, ut dicit, pro amplitudine honorum quos cunctis suffragiis adepti sumus nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini quos modo nominavi, sane exiguus sumptus ædilitatis fuit. » Vituperavit Milonem qui ludos HS. ccc comparaverat, quod nimium putabat[1]. Ludos tamen comparavit ipse, ut mos erat, non vero multo sumptu, quum, adjuvantibus Siciliensibus, sine impensa populo gratus esse potuerit[2]. Pecuniam a senatu decretam forsan non superaverit. Quum ædilitatem, sumptuosissimam dignitatem, tam modeste gesserit, aliis functum esse eum eodem modo putare licet, nec majores sumptus fecisse quam romano magistratui deceret.

Ex honoribus vero, is qui rem ejus maxime impedivit forte proconsulare imperium in Cilicia fuit.

Non modo enim, ut diximus, parvam pecuniam quam salvis legibus ibi collegerat corrupta fuit, sed etiam imperium quod ceteri tam fructuosum faciebant ei magno constitit. Quum e Cilicia redibat, oriebatur discrimen inter Cæsarem et Pompeium. Minime Ciceroni placuit uni aut alteri sese extemplo adjungere, et moræ constituendæ vias quæsivit. Dum triumphum postularet, difficultatem eludere putavit. Qui enim triumphum petebant, extra urbem manere debebant ut imperium servarent. Quum ita non foret in senatu locuturus aut opinaturus et posset exspectare quid eveniret, hoc fecit[3]. Accidit vero ut, rapide accenso bello civili, Pompeium sequi debuit. Itaque cum proconsulari apparatu, cum lictoribus et fascibus bellum genere coactus est. Post cladem apud Pharsalum, magnum comitatum Brundisii, quum reditum Cœsaris exspectaret, alere et sustentare propriis opibus debuit et usque ad reditum in urbem

1. 60,000 fr. *Ad Quint.*, III, 9, 2.
2. *Verr.*, II, 5, 14 ; Plut., *Cic.*, 8.
3. *d Att.*, VII, 1, 5.

servavit; felix etiam evadit quod imperii causa bellum ipse ducere non coactus fuerat[1]. Valde damnosum igitur fuit ei proconsulare imperium.

Satis magnas impensas igitur habuit Cicero ad pueros sustentandos, amicos adjuvandos, famam et existimationem suam tuendam, magistratus gerendos. Sed ut, quum rem ejus et reditus perspeximus, non hos amplificandos esse diximus, sic illæ verbis non augendæ sunt. Liberalem eum invenimus, non prodigum. Suis opibus satis consuluit, ne magistratus petendo aut gerendo, aut largitionibus immoderatis rem corruperet, et in omnibus illis fuit multis inferior, quorum divitiæ majores aut mens minus modesta erat. Non tamen semper ejus negotia expedita esse jam diximus ; quod in clarius lumen etiam proferetur si quomodo impensæ quæstibus pensatæ sint ostendere, et, ad hæc comperienda, rationes quas cum creditoribus et debitoribus habuerit scrutare velimus.

1. *Ad Att.*, VII, 7, 4.

CAPUT V

CICERONIS CREDITORES ET DEBITORES

I. Creditores. — II. Debitores.

Perspectis Ciceronis bonis, quæstibus, consuetudinibus in re gerenda et sumptibus, quædam peculiaria notavimus.

1° Habuit impensas et reditus valde repentinos et inopinatos et parum ordinatos. Vidimus annuas ejus impensas multum inter se distulisse; reditus præcipuos ex altera parte fuisse forte dona et hereditates, non compositas et ordinatas opes scilicet.

2° Non habuisse eum multam numeratam pecuniam plane constat. Apud Oppios verisimiliter et apud Egnatium eum aliquam habuisse videmus, nescimus vero quantam[1]. Quum Tullianos hortos emere volebat, habebat præsentia HS. vi[2]. Quum maxime res ejus in periculo erant, voluit habere sub manu aliquod pondus auri, præcipue ut, si quid ipsi accideret, aliquid Tulliæ restaret. Apparet plane eum nihil antea tale habuisse. Fuit ei in animo partem supellectilis et argenti instrumenti quod domi habebat contra aurum mutare[3]; de quo cum Cælio et aliis Romæ argentarios agere volebat; Atticum jussit operam dare ut purum aurum et sine lacuna esset: nam in collubo jam satis detrimenti erat. Non vero, ut videtur, hoc negotium confectum est[4].

1. *Ad Att.*, X, 4, 12; XI, 3, 3.
2. 1,200 fr.
3. *Ad Att.*, XI, 25, 3.
4. *Ad Att.*, XII, 5, 2 et 6, 1; XIII, 2, 4 et 3, 1. Aurum grave, non aurei nummi ibi significantur; quo tunc sæpe Romani uti solebant; Sylla legem fecerat contra eos qui hæc pondera adulterarent. *Lacuna* est *fraus*. Subærati nummi argentei, non aurei, tunc erant. Erat forte nota reipublicæ in hoc gravi auro. (Mommsen, *Histoire de la monnaie romaine*, transl. gall., t. II, p. 110).

3° Quum ei aliquid præsentis pecuniæ esset, eam non libenter apud argentarios deponebat; verum aut aliquid emebat aut amicum juvabat : creta Cluviana hereditate, constiterat, si quid pecuniæ superesset, eam Quinto deferre; ceterorum vero heredum partes emere maluit; itaque mutuari coactus est.

4° Quum igitur cujusdam sumptus aut emptionis sibi opus esset, sæpe non habebat unde præsens solveret. Immo, quum forte aliqua numerata pecunia esset, non libenter eam dabat. Non magis vero ei vendere aliquid prædii placebat, nisi necesse esset : parvos nummos statim dabat et reliqua per pensiones, satis longis intervallis constitutis, ut reditus ei fierent. Æstuat quum pensionis dies nimium definita aut proxima statuitur [1].

Verisimile est sane, quum apud omnes publicanos et equites gratus esset et multis divitibus hominibus familiarisse uteretur, non versuram regiam eum fecisse et sæpe apud eos pecuniam sine usura habuisse. Ex illa facilitate sæpe magna commoda tulit; non vero semper : nam et ad emenda quæ vellet et ad nomina augenda alliciebatur; et, ex altera parte, quum timeret ne iis incommodum daret, ut eorum liberalitati responderet, sæpe ad eorum nomina solvenda nummos apud fœneratores sumebat, non semper sine magno fœnore, præsertim quum perturbatis illis temporibus rara pecunia esset [2]. His consuetudinibus deditus sane non optime semper rem gessit. Quum non sine expensione pecunia fieret, etsi sæpe amici pro eo sponderent, plane potest aliquam et forte non parvam partem bonorum fuisse fœneratoribus obligatam. Certum videtur, ineunte bello civili, creditores sane ad suam pecuniam recuperandam bona Ciceronis vendere cupivisse, quæ nummis mutuis sumptis sponsa essent.

Quidquid id est, obscurum est et difficile rationes hujus generis apud Ciceronem persequi : frequenter, brevibus vero et nobis parum intelligendis verbis, talibus negotiis in epistolis alluditur. A consulatu usque ad mortem nunquam omnino ære alieno liberatus esse videtur. Creditorum multorum nomina comperta habemus : de

1. V. *ad Att.*, XI, 3, 3; XII, 25, 1; X, 5, 3, etc.
2. *Ad Att.*, IV, 3, 6; V, 15, 4.

Attico et Quinto jam ante diximus : qui vero non creditores erant ut ceteri, quum Atticus in omni casu pecuniam Ciceroni commodaret et sine intervallo rationes cum eo haberet ; Quintus vero eum in exsilio omnibus opibus sustentavisset; cui liberalitati Cicero maxime responderet. De rationibus quas cum Cæsare habuit amplius dicemus, quas hujus generis negotiorum exemplum habere licet.

Ex loco quodam epistolæ ad Quintum[1], conjicere possumus mense Februario a. U. c. 700 (a. C. 54) eum habuisse Cæsarem debitorem ; patet autem plane mense Maio a. U. c. 703 (a. C. 51) Ciceronem Cæsari HS. DCCC aut HS. DCCCXX, in secundo numero fœnoribus sane additis, debuisse[2]. Ut hoc comperire possimus, meminisse oportet mense Quinctili a. U. c. 700 (a. C. 54) Ciceronem cum Oppio, Cæsari familiarissimo, nomine Cæsaris videlicet curavisse de ædificanda basilica Julia et ad hoc, ut dicit ipse, sexcenties HS. contempsisse[3]. Per Quintum verisimiliter, qui tum apud Cæsarem legatus erat, negotium actum est. Cæsar sane multos nummos ex Gallia habebat, quos ad amicos Oppium et Ciceronem misit ad forum emendum. Cicero, ut credo, tunc pecunia egebat, præsertim quum tempus esset domus Palatii ædificationem solvendi et ab Oppio, probante Cæsare, hæc HS. VIII centies accepit, ab Attico consilio capto et illo sane auctore[4].

Paulo post vero, quum consuetudo cum Cæsare juncta prægravis esse cœpisset quum nominis illius causa paulum in arbitrio Cæsaris esset, vehementer cupivit se nomine illo liberare ; et antequam Ciliciam proficisceretur, ab Attico instantius efflagitavit ut illud nomen ex quocumque modo solveretur, vel versura ab ipso facta[5]. In crebris epistolis hanc pecuniam leviter attingit : « Magna me cura

1. *Ad Quint.*, II, 10, 4 et 5 : quod vero non est manifestum ; nam aliter hic locus intelligi potest. V. comment. Tyrrel.

2. *Ad Att.*, V, 1, 2 ; 5, 2.

3. *Ad Att.*, IV, 16, 8. 12.000.000 fr. Majorem pecuniam Suet., *Cæsar*, 26 et Plin., *N. H.*, XXXVI, 15, 103 dicunt. Credere licet Cæsarem non totam aream per Ciceronem emisse.

4. *Ad Att.*, V, 13, 3.

5. *Ad Att.*, V, 1, 2.

levaris », ut scribit, si conficeretur negotium [1]. Orat ut cum Philotimo de eo rationem perficiat; Tarenti, Athenis, Ephesi, de hoc semper scribebat [2]. Atticus hoc nomen aperuerat, vel exposuerat [3], id est confessus erat et solvendum pollicitus; negotium autem non confecit, omissa Ciceronis cupidine. Sperabat videlicet e Cilicia Ciceronem satis pecuniæ relaturum esse ut nomen sine versura solveretur.

Itaque, quum e Cilicia reverteretur, nomen etiam pendebat; quod tunc etiam gravius erat. Dissensio enim inter Cæsarem et Pompeium grandis facta erat; de bello civili jam agebatur. In hoc discrimine privatum Ciceronis commodum fuisset partes Cæsaris sequi a quo pendebat : nam, si Pompeianas partes amplectaretur, ut Attico scribebat, quum in senatu aliquid pro republica dicturus foret, haberet « Tartessium istum », Balbum scilicet, Cæsaris argentarium, prolocuturum : « Jube sodes nummos curari » [4]. Non tamen dubitavit quid faceret : solvere statuit, despecta propria utilitate et reipublicæ amore uno consulto. Ei primum in mentem venit a Cælio argentario pecuniam mutuari : deinde ad Cæsarem nummos quos ad triumphum contraxerat deferre [5]. Nescimus quomodo solverit. Locus obscurus cujusdam epistolæ pensioni cuidam quam fecerit, Terentia adjuvante, alludere videatur; nisi vix credi possit, eum usque ad a. U. c. 706 (a. C. 48) rem traxisse, arbitrer hujus nominis causa et talium amicos Cæsaris tunc domum proscribere voluisse et res ejus tam perturbatas esse [6]. Verisimillimum est tamen eum antea quodam modo, pecunia triumphali forte, nomen illud solvisse.

Utcumque ea res se habuerit, patet alias etiam rationes Ciceronem cum Cæsare habuisse : nam in quadam ad Atticum epistola [7], « nomen illud a Cæsare acceptum » dicit. Non plane intelligitur

1. *Ad Att.*, V, 4, 3.
2. *Ad Att.*, V, 6, 2; 10, 4; 13, 3.
3. *Ad Att.*, V, 1, 2; 4, 3.
4. *Ad Att.*, VII, 3, 11.
5. *Ibid.*; *ad Att.*, VII, 8, 5.
6. Quod Terentiæ scribebat de eo « cui scitis, ut dicit, me satisfieri velle » ita forsan Cæsari alluderet; probabilius tamen est ibi de Dolabella agi (*ad fam.*, XIV, 6).
7. *Ad Att.*, XII, 3, 2.

quale sit nomen illud. Ut opinor, de inimico Cæsaris agitur, qui contra eum arma gessisset : bona ejus sane in manum victoris ceciderant : Cicero ejus creditor erat. Ut vero nomen recuperaret, oportebat Cæsar id aperiret, quum ei omnis res exsulis veniret : Cæsar aperuit, aut accepit, ut Ciceronis verbis utar. Tres igitur erant conditiones ad id recuperandum : 1° « emptio ab hasta », quod Ciceroni non placebat : turpe erat exsulis bona emere, nec tutum, quum fortuna mutabilis esset ; 2° « delegatio a mancipe annua die » : licebat delegationem in annum ab emptore bonorum istorum accipere ; quod vero non erat tutius. Quum enim solus Cæsaris amicus talia bona emeret, esset soluturus tempore quo sibi placeret : sic annus illi « Metonis » foret, ut Cicero dicit : Meto fastos athenienses reformaverat ut Cæsar romanos : ἐννεαδεκατέριδον ejus pro novemdecim ordinariis annis valebat. 3° Tertia via erat « Vettieni conditionem semisse accipere » : quod intelligo : ut Vettienus, argentarius quidam, proponit, numeratam hanc pecuniam mediam statim accipere, renuntiata reliqua.

Ut mihi videtur, secunda via Cicero usus est. Cum illo loco epistolarum conferenda sunt : 1° hæc ad Atticum : « Balbi regia conditio est delegandi ; quoquo modo confice [1] » ; 2° hæc etiam : « de Metone et de Faberio sciamus [2] » ; et id quod primum Faberianum nomen, de quo tam sæpe actum est, in *ep. ad Att.*, XII, 21, 2 designari videmus. Si meminimus Cæsaris scribam Faberium fuisse, et, notis jocis et prudentia Ciceronis, Metonem plane Cæsarem significare posse (non aliter quis esset hic Meto intelligi posset), videtur Balbus, Cæsaris argentarius et amicus, Ciceroni delegationem in Faberium dedisse, qui sane aliquid Cæsari debebat. Quam conditionem regiam Cicero dicebat, id est imperiosam et parum jucundam, quia, quum Faberius magna necessitate Cæsari jungeretur, haud facile ab eo pecunia repetenda esset. Ex tempore quo Faberianum nomen in epistolis significatur, de Cæsare tacetur. Non sine causa huic debitori Cicero diffidebat. Jam initio non totam pecuniam sperabat ; multum operæ ac laboris in ea

1. *Ad Att.*, XII, 12, 1.
2. *Ad Att.*, XII, 51, 3.

obtinenda consumpsit. Faberianum nomen cum Tulliæ hortis epistolarum librorum XII et XIII præcipua fere est materia. Patet hunc Faberium non fuisse communem debitorem : Atticus, ut Cicero scribebat, ab Oppio et Balbo, Cæsaris amicis et argentariis, auxilium petere deberet, ut ille solveret[1]. Videtur tamen negotium bene confectum esse totamque fere pecuniam Ciceroni rediisse : probabile est Faberium Ciceroni in ipsius debitorem dedisse delegationem : Attico curandum erat ut tantum attribueret quantum deberet. Post aliquid etiam moræ solvit : in epistola ad Atticum, de quadam professione agitur, quæ pro prætore referenda erat quum inter censuum tempora aliqua bona acquirerentur[2] : professionem istam Faberianum nomen spectare certius habemus ex eo quod post hanc epistolam nulla alia sit quæ de Faberio tractet, nisi jocose quædam[3].

Exemplum hoc rationum quas Cicero cum creditoribus et debitoribus habuit in extenso retulimus.

Multorum creditorum Ciceronis nomina novimus, quæ partim jam diximus. Ad domum emendam apud P. Syllam, Τεῦχριν cum Antonio ipso, et argentarios Considium, Axium et Selicium mutuatus est[4] : ære circumforaneo, ut ipse dicebat, obrutus erat ad domum villasque parandas[5]. Verisimillimum est eum his nominibus omnibus non liberatum esse, quum res ejus exsilio fracta est. Tunc non Attico et Quinto modo sed aliis multis debuit[6]. Forsan cum Vestorio fœneratore, auctore Attico, de iis omnibus tractavit[7] : ut ille hæc nomina, solveret et sibi creditor unus fieret. Qui vero non semper creditor jucundus erat[8]. Raudusculum Numerianum sane nomen aliquod significat de quo nihil scimus[9]. Ubi difficultatibus paulum emergere cœpit, cœpit quoque liberalius vivere et nomina alia inscribere.

1. *Ad Att.*, XII, 25, 1 ; 29, 2 ; 40, 4 ; 47, 1.
2. *Ad Att.*, XIII, 2, 1 ; 1, 2 ; 27, 2 ; 28, 1 ; 29, 2 ; 31, 1 ; 33, 1.
3. *Ad Att.*, XIV, 18, 1.
4. Gell., XII, 12 ; *ad Att.*, I, 12.
5. *Ad Att.*, II, 1, 11.
6. *Ad Att.*, IV, 3, 6.
7. *Ad Att.*, IV, 6, 4.
8. *Ad Att.*, IV, 16, 4.
9. *Ad Att.*, VII, 2, 7.

Itaque, imminente bello civili, in magno discrimine res ejus erat, quum creditores sub hasta domum venire vellent [1]. Ab Attico Romæ salutem accepit et ex ejus servis in Epiro HS. LXX [2]. Fractis Pompeianis partibus, Brundisii magnis sumptibus vivere debuit; quod sine ære alieno non poterat. Ab omnibus pecuniam mutuam petebat : a Sallustio, ab Attici villico, ab aliis etiam [3]. Res ejus maxime obligata fiebat. Itaque, etiam postquam in gratiam Cæsaris redierat, mense Sextili a. U. c. 708 (a. C. 46), lætabatur quod non Romæ esset kalendis ad « nicasionum ἀρχέτυπα fugienda [4] », id est tempore quo fœneratores suas rationes explicere solebant. Spopondisse pro eo apud Junium quemdam Atticum patet, pecuniamque a Junio repeti [5]. Oviæ, C. Lollii uxori, curanda dicebat HS. C [6]. Cærelliæ quoque, sibi familiari mulieri, pecuniam debebat, quod Atticus dignitatis amici non esse putabat : ad eam solvendam tamen de nomine Cæsaris et Faberii scire exspectandum esse dicebat [7]. Cum parte Cluvianæ hereditatis se ære alieno liberare cupiebat : attamen, quum simul partes ceterorum heredum emere vellet, mutuari etiam necessarium judicavit [8]. Patulcianum nomen quoddam curari Atticus jussit [9]. Dispensatione incuriosa Erotis, ad Atticum scribit se cogi mutuari : itaque post paucos dies, capto ab Attico consilio, versuram facere statuit mensum quinque HS. CC [10] : « Nam ad eam diem cadere nummos qui a Quinto deberentur [11]. » Ex sedecimo epistolarum libro patet et in extremis vitæ annis eum istis impedimentis non esse vacuum : nam quum e debitoribus ut Dolabella nihil trahere posset, reditus sumptibus non sufficere constat. Itaque Balbum et Atticum orabat ut, si quid necesse esset, sibi opem ferrent.

1. *Ad Att.*, XI, 1, 1.
2. *Ad Att.*, XI, 2, 4.
3. *Ad Att.*, XI, 11, 2; 13, 4.
4. *Ad Att.*, XII, 5, 4.
5. *Ad Att.*, XII, 14, 2.
6. 20.000 fr. *Ad Att.*, XII, 21, 4; cf. 24, 1 et 30, 2.
7. *Ad Att.*, XII, 51, 3.
8. *Ad Att.*, XIII, 46, 4.
9. *Ad Att.*, XIV, 18, 2.
10. *Ad Att.*, XV, 15, 3.
11. *Ad Att.*, XV, 20, 4.

Videtur vehementer cupivisse ære alieno liberari antequam Roma egredi coactus esset, ne iterum in discrimen versaretur, quo in Pompeiano bello jam pæne oppressus erat; itaque precabatur ut Atticus vel versura, vel venditione uteretur[1]. Quum multum sibi deberetur ex quo nihil acciperet, usque ad finem vitæ erat in angustiis et ære alieno oneratus[2]; non tamen, ut videtur, multa nomina reliquit. Compertum est quantum laborum et pœnarum ex hoc genere rem gerendi habuerit.

II

Quum de creditoribus dixerimus, ita de ejus debitoribus pauca disserenda sunt. Multorum nomina in epistolis deprehendimus ex quibus quomodo ei pecuniam debuerint quæri potest.

Non, ut opinor, pecuniam fœnori dabat nec usuras accipiebat. Nobis enim hujus generis unum negotium compertum est. Scribæ suo, Tullio cuidam, aliquam mutuam pecuniam dederat; tempore quo nummos ad fanum Tulliæ ædificandum contrahebat, inter debitores illum forte solum noluit appellari et scripsit ad Atticum eum recte pecuniam ipsius habere negavisse, etsi haberet: nam in fanum non conferenda esset[3]. Tullius vero ille parum Ciceronis liberalitati respondit; quem enim constat nimium callide egisse et pæne aliquid Ciceroni « imposuisse », nisi malitia Attici qui de eo non bene æstimaret dolus apparuisset[4]. Capiti itaque recuperando Cicero animum dedit. Patet eum semissibus usuris usum esse, id est dimidio minoribus quam lege licebat[5]. Probabile est eum non sæpe hoc genere quæstus usum esse et, quum eo usus sit, non ad lucrum faciendum. Nam non sæpe numeratos nummos habebat, quum habebat, aliquid emebat aut eos sane amicis mutuos dabat, ad eorum nomina solvenda: sic, creta Cluviana hereditate, scribebat :

1. *Ad Att.*, XVI, 2, 2; 3, 5; cf. 6, 3: « Nomina mea, per deos, expedi, exsolve. »
2. *Ad Att.*, XVI, 15, 5.
3. *Ad Att.*, XIII, 22, 4.
4. *Ad Att.*, XV, 26, 4.
5. *Ad Att.*, XV, 29, 1.

« Quinto delegabo, si quid æri meo alieno superabit[1]. » Verisimile est eum usuras non accepisse, aut minusculas, Tulliana ista non majores. Debitores igitur quos ei fuisse videmus aut familiares aut minus cari amici erant, quibus aliquam pecuniam forte dederat : sic filio Axii, cuidam Gallio, imminente bello civili, HS. XIII mutua dedit[2] : non modo, ut videtur, ea non recuperavit, quum eorum opus erat, verum etiam alia XII ei abnuere non ausus est[3] : ut Gallius, Lepta et ceteri familiares agebant, excusatione temporis usi[4]. Cicero præsertim creditor acerbissimus non erat : Funisolanus quidam ei multos nummos eo ipso tempore debebat, non vero locuples habebatur ; cum eo « cumulate », id est summa benevolentia Ciceronem egisse videmus[5]. Aliud genus debitorum habebat eos in quos delegationes sibi factæ erant. Illorum forsan esset Minucius ille a quo a. U. c 707 (a. C. 57) non totam pecuniam debitam, verum HS. XI accepit : ab Attico petiit ut videret ut reliqua solverentur[6] : quæ forsan esse HS. X, quæ in epistola quadam inscripta sunt, credi possit[7]. A. U. c. 702 (a. C. 46) et sequentibus, paulo severius cum debitoribus tractavit : nimium impeditæ res ejus erant quam ut tam liberaliter sese habere posset. Quum ad fanum Tulliæ ædificandum et ad hortos emendos pecunia egeret, quod vehementissime cupiebat, de suavitate consueta paulum remisit. Tironem Aufidianum nomen monet[8] ; professio quædam redditam a debitore pecuniam forsan spectet[9]. Flamma et Papia certe debitores erant : a quorum uno, si non omnem pecuniam, partem aliquam ejus ut extorqueat Tironem hortatur ; et Papiam ut appellet[10]. Attico similia mandabat : « Cocceium, scribebat, velim appelles[11] ». Libo verisimiliter et

1. *Ad Att.*, XIII, 46, 4.
2. 2.600 fr. *Ad Att.*, X, 11, 2.
3. 2.400 fr. *Ad Att.*, X, 15, 4.
4. *Ad Att.*, X, 11, 2.
5. *Ad Att.*, X, 15, 1.
6. 2.400 fr. *Ad Att.*, XI, 15, 2 ; cf. 14, 3.
7. 2.000 fr. *Ad Att.*, XI, 17, 3.
8. *Ad fam.*, XVI, 19.
9. *Ad fam.*, XVI, 23, 1.
10. *Ad Att.*, XII, 13, 2.
11. *Ibid.*

forte Cispius Preciusque debitores quoque erant ex quibus pecuniam recipere cupiebat[1]. Atticum ut ab Hermogene HS. vi exprimat hortatur[2]. Nescimus quomodo ei ab his pecunia deberetur. Forte ab aliis delegati erant; forte ipsis aliquid mutuum dederat. Potest etiam fieri eorum aliquos inquilinos fuisse qui domus aut prædii mercedes non satis solvebant. Inquilinos verisimiliter fuisse opinor hos debitores quos appellavisse Atticum probabat[3]. Non vehementer eos urgebat, et dicebat, « majori offensioni quam delectationi possessiunculas » esse quas illi verisimiliter conducebant. Videtur aliquam retentionem eis dedisse et forte a quibusdam ut pretium debiti domum accepit : quod vero non plane manifestum est[4]. Verisimile est in pluribus locis parum dilucidis debitoribus Ciceronis alludi. Compertum est ei Quintum, Crassipedem, Dolabellam, Pompeium, Cæsarem, Faberium ex variis causis debitores fuisse ; a quibus pecuniam exprimere non semper facile fuisse ; Pompeio mutuam datam pecuniam totam perditam esse ; idem forte de Dolabella accidisse. Tanta pecunia ei debita atque non numerata maxime res ejus impeditæ sunt. Extremis vitæ annis, quod ei debebatur superabat quod debebat : quum vero id præsens non haberet, multum ex eo laborabat.

In summa, si quæ ei debebantur ex originibus distribuere nobis cordi sit, debitores ei plurium generum fuerunt, ut videtur : 1° qui pecuniam parva usura ab eo sumpserint, ut Tullius ; qui rari erant ; 2° amici qui aliquam sine usura acciperent, ut Quintus, Pompeius et alii ; 3° qui ab aliis delegati sint, ut Faberius ; 4° inquilini vel villici ; 5° qui variis causis ei pecuniam debuerint, ut Dolabella.

Quum alii, ut ipse, non libenter præsentia solverent, magnum detrimentum ex hoc genere rem ministrandi cepit. Vidimus fuisse eum liberalem creditorem, et forte magis quam sedulo patri

1. *Ad Att.*, XII, 19, 2 ; 24, 3.
2. *Ad Att.*, XII, 25, 1.
3. *Ad Att.*, XIII, 22, 4 ; 23, 3.
4. Cæsar debitoribus aliquid retentionis tribuerat (Suet., *Cæsar*, 42) ; cui sane in *ep. ad Att.*, XIII, 23, 3 alluditur: ea uti eo magis oportebat quod Scævæ, amici Cæsaris, familiaris erat unus ex his debitoribus.

familiæ deceret. Extremo tempore vitæ, si aliter res gesta esset, ære alieno liberatus esse debuisset, quod non erat [1]. Longe abest eum otio fruitum esse quo, ut videtur, hominem non prodigum et fortunis quas diximus ornatum affici decuisset.

1. *Ad Att.*, XVI, 3, 5.

CONCLUSIO

Hæc de re privata Ciceronis in summa nobis comperta sunt. Non sane omnia explicavimus et multa nobis parum clara aut imperfecta manent. Sæpe luce omnino egemus, et in maximis rebus: nullo modo, ut exemplum faciamus, æstimare possumus ad quantum annui fructus prædiorum et aliorum ejus bonorum venirent, quod multum interesset. Sæpe parum manifestum est quod paucis verbis ad Atticum dicitur : fuisse aliquid negotii novimus, de quo autem parum constat. In summa confitendum est multa post investigationem nostram lucem desiderare. Ex hoc scripto tamen sunt aliquæ conclusiones proferendæ.

Non permagnas fuisse Ciceronis opes primum prædicare licet. Quanta fuerit ejus res privata accurate affirmare non possumus. Immo, etiamsi Erotis tabulas haberemus, non plane constaret, quum, ut Cicero querebatur, non exactas et investigatas rationes præberent. Non facile talis res ministrabatur aut æstimabatur; nam, super annuos fructus, hereditates et aliæ hujus artis opes sæpe contingebant : immo, sine illis Ciceronem difficile rem servare potuisse patet. Per longum tempus fuit verisimiliter partim sponsa creditoribus. Extremis annis vitæ forsan melior fuerit ejus conditio, non tamen optima. Nullo modo opulentissimi viri, immo, non semper divitis, agi ex iis quæ de re privata Ciceronis novimus affirmare licet. Sæpe eum multum impeditum et obstrictum vidimus, et, parvis nummis desideratis, nullo modo eos posse comparare : quod tam exiguitate fortunæ quam ipsius genere accidebat. Non habebat præsentem pecuniam qua in casu aliquo uteretur. Oportebat igitur ut mutuos nummos sumeret, quod rem impediebat, aut aliquid venderet, quod nec jucundum nec semper

facile erat, præsertim in civilis belli tumultu. Ei, ut diximus, magna et frequentia impedimenta accidisse in fortunis patet, et, ut opinor, nisi hereditates multas crevisset, certe rem non modo non augere, sed ne servare quidem potuisset in secunda parte vitæ quæ initium post consulatum habet. Habitum vitæ ergo liberalem, famæ dignum et sine humilitate servare potuit ; non vero locupletem et magnificum. Ad eum tuendum sæpe propriæ opes defuerunt, et, nisi ab aliis adjutus esset, res ejus pæne corrupta esset. Nullo modo Crasso aut Lucullo æmulus extolli potest.

Quibus viis hanc rem sibi comparaverit, quum patrimonium modicum accepisset, diximus. Nullo modo demonstrari potest eum aliquid in partibus publicanorum habuisse ; parum orando, scribendo, magistratibus gerendis acquisivit. Non illiberalibus artibus usus est. Ut videtur, ex donis et ex hereditatibus maximum quæstum accepit. Affirmandum est eum summa probitate rem gessisse et præsertim sæculo, corrupto, quo etiam viri optimi, ut Brutus, non dubitabant fœnerari, miræ modestiæ fuisse. Neque prodigalitatis neque avaritiæ argui potest, et, explorata ejus vita, magis indoles ejus colenda est.

In eo quod ad memoriam rerum populi romani attinet, nonnulla de consuetudinibus optimatum in re curanda et moribus clariora in lucem proferuntur. Inter alia unum est notandum. Si hominem modestum et moderatum ut Ciceronem vidimus tam impeditam rem habuisse, et tam sæpe prope ruinam et exitium fuisse, et salutem accepisse, ut videtur, opibus quæ dignitas et consuetudines et celebritas ejus ei asseverant, quanta fuerit egestas multorum in urbe civium, quibus hoc etiam genus lucri deerat, intelligi potest. Ad dignitatem tuendam splendidus habitus vitæ, liberalitas, magni sumptus decebant. Qui virtute præditi erant, mutuari et patrimonium obligare cogebantur. Paulatim ad paupertatem inclinabant, et eis tandem nulla via salutis restabat, nisi aut perturbatio rerum quæ nomina deleret, aut in partes viri intrare qui eos contra inopiam defenderet. Nisi Cicero omnia post conscientiam posuisset, Cæsarem peculiaribus commodis eum esse assecutum vidimus.

Non omnes Ciceronis integritatem imitabantur. Conjuratio Catilinæ debitorum et perditorum hominum fuit. Non aliter Cæsar amicos habuit. Dum rem privatam Ciceronis investigamus, e momentis quæ prospero successui Cæsaris imperii fuerunt, ingens unum reperimus.

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

a. d. VI Idus apr. ann. MDCCCXCV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR.

Academiæ parisiensis rector,

GRÉARD.

INDEX CAPITUM